



Taubmann. quemeter

approbatum semel representari non potest 448. 13  
quod seruū faciat amplius dissipare non debet p. 229. num. 4

L. 9-  
M. 6 10

- Index disputationum hoc in Volumine
- 1 Taubmanni ~~Catena~~ ~~disputationum~~ ~~contentarum~~ disput. 4. pag. 1.  
2 Schurarii Roffo Synopsis Pandectarum pag. 237.  
3 Sveci collegium Feudale. pag. 341.  
4 Taubmanni ~~legi~~ epistola institutionum pag. 519.  
5 Molana de jure Novacum & libertia pag. 543.  
6 Clavini de Re militari & libertia pag. 529.  
7 Errell de pacificatione Religionis Augustana & libertia pag. 687.  
8 Doyer de jure sepulture & libertia pag. 751.  
9 Wadie de domino & libertia pag. 825.  
10 Nangre de executione rei privatae & libertia pag. 881.  
11 Aldam de commerciorum rapitione jure regulari & libertia pag. 921.  
12 Restituo de Fide & libertia pag. 420.  
13 Wagner de differentiis iuriis civilis & canonici pag. 1067.  
14 Engstler ad l. un. f. de Pict. ex lege pag. 1243.  
15 Basaris de Fidelis locis pag. 1151.  
16 Lampson de origine, autoritate definitione et dimensione Feudis pag. 1175.  
17 Raftree de cultoribus bonorum, pag. 1129.  
18 Westcott Positiones Theorico-Practicae pag. 1223.  
19 Hennig de Retorphae pag. 1249.  
20 Faizzi de donationibus inter viros pag. 1255.  
21 Neander de debitis primatis pag. 1255.  
22 Burchard de entione et venditione pag. 1299.  
23 Lundex de Pastu pecoris pag. 1323.  
24 Lzuan de cimine Majestatis humanae pag. 1329.  
25 Langford tuga semidecima miscellanea ex jure privato feudal atq. publico  
26 Lundex inventarium ex l. ult. c. de jure delib. pag. <sup>3</sup> 1303. ~~disputationum~~ pag. 1303.  
27 Metzger de casus questione controveriarum pag. 1431.  
28 Neander, ternas ex quintuplici jure positiones pag. 1459.  
29 Bartolo de Usfructu pag. 1475.  
30 Thomas de beneficio longitentiae pag. 1505.  
31 Aldam de jure et gradatione creditorum pag. 1563.  
32 Baudet de Republica Romano-Germanica pag. 1533.  
33 Borckmann de legatis sive maiestatis iuribus pag. 1631.

- 34 *Leidenbott de fustis*, pag. 1657.  
 35 *Bavaria de Heresi*, pag. 1681.  
 36 *Adolph. de Religion*, pag. 1701.  
 37 *Dissert de natura punitio*n* et iudic*e*um fire, obiecto et med*ie*is*, pag. 1763.  
 38 *Lugdun. de jure Tute*ri**, pag. 1777.  
 39 *Historia de gratu communi*c*ati*, pag. 1801.  
 40 *Mindin*us* de Fide*ju* so*ci*is*, pag. 1817.  
 41 *Heges. de falso adulterio*, pag. 1837.  
 42 *Epist*al* de beneficiis et feodi eccl*esi*asticis*, pag. 1885.  
 43 *Emblema de caritatis Imperii Romano-Germanici*, pag. 1953.  
 44 *Medieval de Tortur*a**, pag. 1981.  
 45 *Iuris Delib*at*io*s* post*ul*ationum*, pag. 2013.  
 46 *Granc*ius* ex 9.1. Ius*can*. part. de Majestate sumis et lepro*s*, infund*am*, et spe*ci*am*is* de armis fire bello et Legib*is**, pag. 2041.  
 47 *Tercius de jure Personar*um**, pag. 2085.  
 48 *Laicha Novena ad Matriam Testamentariam spectantes posit*iones**, pag. 2101.  
 49 *Sander*us* de Tyrannide*, pag. 2211.  
 50 *Beaufcaud de fustit*ia* et quidem commutativa*s**, pag. 2337.  
 51 *Cambon*us* de succession*e**, pag. 2401.  
 52 *Diz*et*ri fates Sac*ri**, pag. 2477.  
 53 *Loyar i*n* d*icit*ur principia*s**, pag. 2493.  
 54 *Galgenfaun*us* de bono Princeps*is**, pag. 2521.  
 55 *Baron*y* de Polit*ia**, pag. 2541.



3  
57.

CUM DEO!  
**COLLEGII INSTITUT.**

PUBLICI  
DISPUTATIO TERTIA.  
Ethico-Politico-Juridica.

**PA TRIA PO-**

TESTATE, EJUSQUE  
cum Constitutione

Per  
**NUPTIAS, LEGITIMATIONEM,**  
ADOPTIONEM: TUM DISSOLUTIONE.

*Ad Tit. 8. 9. 10. 11. & 12.*

EXHIBENS  
TEXTUS

Continuationem, Quæstiones,  
Antinomias & Axiomata.

*Quam*  
Sub PRÆSIDIO

**CHRISTIANITAUBMANI**  
J. U. D. & Profess. Publ.

*Discutiendam proponit*  
**JOACHIMUS Mager / Sedinô-Pomeranus,**  
*Ad diem 29. Augst. In Auditorio jCtorum boris antemerid.*

---

WITTEBERGÆ,  
Typis AMBROSII ROTHI Acad. Typ. Anno 1635.





## TIT. VIII.

De his qui sui, vel alieni juris sunt.

## MEMBRUM I.

*Continens Continuationem.*

**S**equitur de Jure Personarum alia Divisio. Nam quædam personæ sicut sunt iuri; quædam alieno iuri subjectæ præc. Et haec sunt vel in potestate Dominorum, ut Servi. §. 1. quæ tamen non debent abuti. §. ult. vel Parentum ut Liberi tit. seq.

## MEMBRUM II.

*Continens Questiones.*

I. An quemadmodum dominorum potestas vita & necis in servos, ita & Patrum in liberos hodie justis de causis sublata? Aff. cum Hanon. d. 2. tb. 1. Basb. hic p. 78. contra Bodin.

II. Num in hoc principio rectè fiat mentio potestatis dominicæ? Aff. cum Förß. hic. d. 3. tb. 1. contra Donell. & Treuil.

III. An Imperatores rectè dicantur Divi? Aff. § 2. cum Förß. sh. 2. contra Basb. p. 75.

IV. Ælius Martianus qui hic in §. ult. refertur an sit Iesus noster? Neg. cum Förß. hic ib. 3.

V. Num servus detur sine domino? Aff. cum Ungeb. Exerc. 3. q. 1.

## MEMBRUM III.

*Continens Antinomias.*

I. Alieno iuri subjectos aut esse in potestate dominorum aut parentum, Aff. hic. pr. Cum tamen & uxores in maritorum sint, Gipb. hic. d. 2. §. 1. 3.

II. In §. 2. fævitiam domini culpam solum esse; In l. 17. §. 1. ff. de usuf. & l. 24. §. 5. ff. sol. marim. autem dominum plenissimam coercitionem habere dicitur. Matth. hic.

60.  
III. Jus quod in §. 2. Antonino tribuitur; etiam apud Senecam c. 22. l. 3. de benef. & Spartanum in Adriano reperitur; item ex Legge Petronia. Marcil. hic & Hott. En. 4.

## MEMBRUM IV.

### Continens Axiomata & Digressiones.

I. Natura ita comparatum, ut tam publicè quam privatim alii præsint, alii subsint. arg. pr. & s. i. hic. De Publica alibi. Privata potestas Familia includitur, atq; inter illos est, qui ad se invicem mutuum quandam habent respectum, qui ad ipsorum utilitatem, & familie ipsius conservationem pertinet. Vult. hic. n. 4. Et ipsa seminarium est ac velut rudimentū rerum omnium publicarum. Bodin. l. 1. de rep. c. 2. Potestas autem familiae sive domestica, non est eadem, sed pro distinctione eorum, qui in familia sunt, aut ea continentur, etiam ipsa distinguitur. Sunt autem hi in triplici consideratione: una est in marito & uxore: altera in parentibus & liberis; tercias in dominis & servis, adeò ut unus idemque paterfamilias, si re ipsa hos omnes habeat, sit & maritus & pater & dominus; una eademque materfamilias sit & uxor & mater & Domina: aut si unum vel alterum non habet, habeat tamen jusista habendi. Paterfamilias: e. aestimatur non ex familia, quem de facto jam habet, sed jure familiae habendae. Don. Enul. l. 2. c. 20. b. Hinc potestas illa domestica est maritalis, patria & domestica. De ista alibi: Potestatem autem dominicam & patriam jus Civile à jure gentium acceptam ad se transtulit, itaque ornavit, ut quodammodo propriam sibi fecerit: iura connubiorum, adoptionis, tutela & cura sibi fixit, de quibus certè omnibus non tantum idem, quia ad personas ista pertinent, monendi sumus, sed & quia videmus fundamenta sic ponit gubernationis Politice, ad quam certè, veluti finem ultimum omnium hac nostra studia referre debemus. Futuro enim legislatori aut Politico cuius rei familiaris status, ejus disciplinatio & cognitio habenda est, aliter officio suo recte fungi non potest. Ac vulgo dici solet, neminem Rempub. recte gubernare posse, qui rei familiaris & propriæ domui prius imperare non

non didicerit. Retinenda igitur nobis est doctrina, ut imperandi & parendi officia in familiis sarta teatraq; conserventur, aliter neque rerum possessionem salvam, nec publicarum functionum jura integra habere possumus. *Heig. hic. n. 4. Ehem. pr. jar. l. 3. p. 150.*  
*Patrit. de Repub. l. 4. c. 2.* An autem imperium hominis in hominem sit naturale? *Aff. cum Cubach. cent. i. quasi dec. 5. q. 9. vid.*  
*Besold. l. 1. Pol. c. 1. n. 24. Aven. quasi. pol. 25. Vinsb. dis. de Rep. tb. Grotius de jure belli. l. 2. c. 5. n. 27. Et cetera.*

II. Domini jure gentium infinitam in servos potestatem habent, jure civili finitam. §. 2. *bic. l. 1 ff. b. t. l. 2. 5.*  
2. *ff. ad L. Aquil.* Domini siquidem tam vita, quam necis potestatem in servos olim habuerunt. *Aristot. l. 2. pol. c. 7 pr.* Ita ut in servum domino nihil non licere dixerit. *Pater Seneca.* Huc pertinet illud i. *Contr. 5.*  
Donati ad Tarent: *Quid non justum dominum in servum?* Atque hæc *Andr. a. 1.*  
omnia jure gentium non alias ob causam introducta sunt, quam sc. i.  
naturali potestate deliniti captores libenter abfincerent à summo illo  
rigore, quo captos interficere poterant. *l. 239. S. 1. de V. S.* Neque enim quasi pacio est, ut abstinere cogantur, si jus hoc gentium  
species, sed modus persuadendi ab eo, quod est utilius. Sed excessus  
medicina illa modum, quemadmodum ait Poëta, & excusari im-  
manis illa & inhumana ratio vita privandi servos nullo modo  
potest: quemadmodum nec *tyrannorum*, qui ut domini servi imperant,  
ac vita necisq; potestatem in suos pro libertu exercent,  
*Aristot. l. 1. Pol. c. 5. in fin. Et l. 3. c. 10. Jun. Brut. in vind. contr. tyr.*  
q. 3. Immò jus vita & necis (de plena & interna justitia loquor)  
domini in servos non habent: nec quisquam homo hominem  
jure potest interficere, nisi is capital commiserit. *Grotius de jure  
belli. l. 7. c. 5. tb. 28.* Itaque iidem illi Romani, postquam non tantum  
belli, sed & pacis artibus delectari, & animos feroci militares  
philosophie. Precepit emolliendos tradere & submittere caperunt,  
hac in parte naturæ obsequientiores facti humanius cum ser-  
vis agendum putarunt. Philosophi igitur primi, quo loco ha-  
bendissent servi Romanos docuerunt. Ostenderunt, inquam, &  
principiè Stoici, naturam inter dominum & servum cognitionem  
constituisse: ejusque evidenter exempla & in jure nostro reperi-

62.  
mus. l. 32. Et 209. de R. f. Jus a. civile discriminem illud introduxit; itaq; in hoc argumento cavendum maximè est, ne naturam offendamus, dum potestate civilis sine modo primitur. Non potest omnino deleri vis illa naturæ licet effectus libertatis impedit in multis posse, argum. §. fin. sup. de jur. nat. *Lescivius* in l. 38. ff. de cend. indeb.

*I. I. Pol. c. 4.*

*I. I. Pol. c. 8.*

*Sen. Ep. 31.*

*Ep. 47.*

*I. I. de Clem.  
c. 18.*

at naturalem rursus concedit: cum servitutem à lege non natura arcessit: & virtutes servis inesse ait: *Corpus est quod servit, Animus autem liber,* & liberior domino ipso esse potest, ut ex nostris pulchre *Vasq. de success. creat. lib. 1. §. 1. n. 38.* Animus rectus, bonus, magnus, tam in Equitem Rom. quam in libertinum, quam in servum potest cadere. *Stultissimus est*, qui hominem aut ex ueste, aut conditione, que uestia modo nobis circumdata est, estimat. &c. Hæc igitur omnia permoverunt Romanos, ut potestati dominorum in servos modum tandem ponerent: statuendo scilicet, ne supra modum, & sine causa legibus cognita, in suos servos savire liceat. Nam

*In principio, inquit Seneca, cogitandum est, non quantum illud im-*

*punere possit, sed quantum tibi permittat equi boniq; natura qua*

*parere etiam captivis & pretio paratis jubet. Deinde: Cum in ser-*

*vum omnia liceant, est aliquid quod in hominem licere communeque*

*animantium varet. Castigationem tamen moderatam dominis re-*

*liquerunt: quomodo enim aliqui Pateram, regendæ domus fa-*

*cultatem recte exerceret, cum nec publica gubernatio aliter pos-*

*sit consistere, & prior illa-hujus posterioris imaginem gerat. l. 2.*

*de juris d. t. t. C. de emend. serv. Vid. Dn. Jac. Martin. pol. p. 142.*

*Heig. bic. p. 42. n. 1. & Horiom. §. 2. En. 2. Grotius de jure belli. l. 3.*

*c. 10. tb. 1. Disp. preced. 2. tit. 3. digr. 2.*

III. Servi à dominis, crudelius vexati, confugere ad ædem sacram, vel Principis statuam solebant. §. ult. hic. l. 2. ff. b. t. l. 1. de Off. pref. urb. l. 1. C. de iis qui ad stat. confug. Magnam fuisse domiorum quorundam stante Repub. & astate Augusti Imp. in servos crudelitatem, discere ex Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 3. c. 20. & ib. Tirag. Bodin. l. 1. c. 5. Pol. facilè licet. Itaque prudentum medicorum exemplo, necessaria medicina huic hominum degenerantium ægritudini adhibenda fuit, ne totum

Reip.

Reipub. corpus infectum paulatim corrumpetur. Quamvis vero olim nec in æde sacra, nec apud imagines vel statuas Principum & Heroum tuti essent Servi: tamen ubi ad Augustos inclinare summa rerum cœpit, non ausi fuerunt domini in servos abstra here, ne in maiestatem Principis peccasse viderentur. Bodin. d. 6.5. Hæc erant, quæ Asyla Græci nominabant, οὐδὲ τὸ οὐλόν: quod ab eis eripere neminem fas erat. Et est Asylum Locus refugii innocentibus sic à jure constitutus, ut ex eo inviti extrahi nequeant. Vult. b. 4. Antiquissima autem fuerunt, & à Deo quoque instituta. Num. 35. Deut. 19. Jos. 20. Eaq; apud Romanos tribus personarum generibus patuisse colligitur ex Tacito: Complebantur, inquit, templa, pessimo servitorum; eodem subsidio operati adversus crediteores, suspectis capitalium criminum recepiabantur. Tempa itaque pro Asylis erant; & configiebant ad aras & signa Deorum amplectebantur. Virgil. *Hic Hecuba & nata nequidquam altaria circum condensat* & divum amplexa simula cra se debant. Servorum qui hoc perfugio usi apud Plautum; & satis probat hic locus; & de iis qui ad asyla configiuit, Plutarch. de superst. Confidunt si signum apprehenderint, aut in templum configurerint. Christiani quoque Imp. idem privilegium templis, in quibus verus Deus colitur, esse voluerunt, qua de re est ist. C. de his qui ad Eccles. Atque hæc quidem de sanctorum asylis, in quibus statua alicuius Dei complexus vim potissimum obtinebat. Cujus rei exemplum postea ad Regum & Principum statuas translatum est. Nam (ut Cicero testatur) apud omnes Græcos hic mos est, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujusmodi, nonnulla religione Deorum consecrari arbitrentur. Et meminit Livius statuæ Prolomai Regis, ad quam configerit Decius Magus. Unde à Servis quoq; usurpatum hoc jus est, ut ait Seneca: Et Tacitus: Incedebat, inquit, deterrimo cuiq; licentia impunè probra & invidiam in bonis excitandi arrepta imagine Cesari: libertiq; etiam ac servi, patrono vel domino cum voce rūm manus intenderent, ultra meruebantur. Igitur C. Cestius Senator differuit, Principes quidem instar Deorum esse, sed negat Diis nisi justæ supplicium preces audiri: neque quoquam in Capitolium aliave urbis templo perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utar.

3. Ann.

2. Ann.

Mostel. a. 5.

se. 1.

Rud. att. 2.

se. 7.

4. Verr.

lib. 23.

lib. 1. de

Clem.

lib. 3. Ann.

etur. Graviorum itaque scelerum reos hoc praesidio te tueri non  
permittunt jura nostra. Nov. 17. c. 7. & N. 37 117. c. ult. § quia Idque  
lege Dei convenit. Exod. 21. quæ jobet homicidam abstrahi ab al-  
tari. Et Thucid. Involuntariorum delictorum perfugium esse aras  
asseritur. Quod rursus Lege Dei convenit. Num. 23. 11. & Deut. 19.  
Aylum e. est locus innocentibus non nocentibus constitutus. a.  
Nov. 17. c. 7. Nec recipiendus reus antequam rationes Magistra-  
tui exposuerit. ib. Summa itaque juris est corruptela justitia Dei  
prospero contraria, quæ Sponsa, Virgini vestali, aut Cardinali purpu-  
rato, morti præcipere reum permittat. A quâ quoq; non dissimilis  
illa, quæ ob pompam nuptialem Principis, vel novi Domini inaugura-  
tionem reis graviorum criminum impunitatem concedit. Auditor  
disp de jur. princ. iur. publ. Francof. tb. 59. & 60. Hottom. b. 1. En. 1.  
Heig. Bachov. & Valtej. ib. Lettius in orat. p. 119. Ad autem adhuc ho-  
die tempora Christianorum recte constituantur Asyla? Aff. cum  
Hanon. D. 2. tb. 1. Heig. part. 2. q. 24. n. 44.

IV. Domini interdum rem suam alienare coguntur.  
ib. & l. 1. §. 27. ff. de question. l. ult. ff. si quis à par. manum. Quia  
nonnulli ob leves fortè causas prædicto remedio, & ut invidiam  
domino crearent, non defensionis suæ causa utebantur. l. 28. §. 7.  
ff. de pen. Ideo prudenter Antoninus Imp. cognitionem Praesidis de  
fuga illa servorum esse voluit, ut sciatur, an justè illi de dominis  
suis querantur. Nam ut justas querelas audire æquum est, ita ca-  
lumniam, vel maximè à servo, abesse oportet. l. 1. §. 3. 4. ff. de  
Pref. urb. l. 7. §. 2. ff. de injur. Cognitionis modus talis est, ut si  
incollerabilis videatur saevitia dominorum, servos suos bonis con-  
ditionibus vendere cogantur, ut pretium ferant. Ergo Princeps  
subditis bona sua non potest auferre, vel jus quasdam tollere, non re-  
fusopretio? Ita puto cum Cubac. cent. 1. dec. 3. q. 5. Fachin. contr. 8.  
c. 63. Est autem elegans rescriptum, quod & causam hujus mo-  
derationis continet. Inquit enim Imp. non posse quidem dominio jus  
suum auferri, ita nolente Domino fieri etiam ex voluntate  
Pop. Rom. servus non potest. l. 17. ff. qui & à quib. l. 3. C. Qui ma-  
num, non pos. Nec Princeps subditum rei suæ dominio privare.  
l. 6. C. unde vi. l. 4. C. de emane. libb. At contra hic affertur elegans  
ratio,

ratio, quæ temperare illud superius axiomat potest: videlicet inter-  
 esse ipsorum Dominorum, ne pro libitu potestate suâ utantur: Itaq;  
 etiam tunc illibatam dominis potestatem cōstare, cūm querelæ ser-  
 vorum audiuntur; imò verò alioqui stabilem & firmam esse non  
 posse: Quia nullum violentum diuturnum. Quemadmodum ipso-  
 rum Principum interest, si subditos habeant magis se amantes,  
 quām metuentes: ac leges ipsæ ex utilitate & commodo subdit-  
 rum ferendæ sunt. Diuturnior & stabilior ea potestas est, que amat, &  
 à qua benignitatem & clementiam sperare possis. Cūr enim bellum  
 servile Romani & alia gentes sentierunt, nisi qniam durius servos  
 habuerunt: Quibus profecto & facilioribus & fidelioribus usi fu-  
 issent, si moderatam in illos potestatem exercuisserint. *Sen. 1. de  
 Clem.*  
*Patrit. de Repub. l. 4. c. 7.* Quia Severitas amittit fiduciam & autoritatem: Et *Sallust. Jug.*  
*Sævitia.* Plus timoris quām potestie addit. — Peragite tranquilla potestie. *Claudian.*  
*ff. 2. Quod violencia nequit: mandataq; fortius urget Imperiosa quies.* *paneg. Mal.*  
 Temperatus enim timor est, qui cohibet: fiducia & acer invictam  
 excitat. Hæc igitur temperatio pro dominis nō contra illos est. Est  
 & pro Reipub. tranquillitate. R. Et ceteroq; hic dicitur: Interesse Reipub.  
 ne quis res suā male uatur. Quamvis enim in re sua unusquisque  
 moderator & arbiter dicatur. *l. 21. C. mandati.* tamen supremum  
 in nos & bona nostra legis dominium extat, quæ præcipit, quem-  
 admodum rebus nostris uti debeamus. Hujus legis servi sumus, ut  
 liberi & rerum nostrarum domini esse possimus. *l. 2. ff. de l. l. 1. & c.*  
*ff. de minor. Heig. b. c. n. 8.* Jus enim quod publicum est præfer-  
 tur hominis voluntati, quæ est privata. *Jure autem reguntur Reipab.*  
 non privata conjugii, voluntate. Et sicuti in omnibus juris partibus,  
 ita in contractibus etiam summam semper jus autoritatem obti-  
 net, quæ si adsit, quæ fiunt, fiunt rectè; si absit, non rectè. *Vultej. hic*  
*n. 6.* Inde q; pro ditum est, Principi ex causa necessitatis, & publica  
 Pax & tranquillitatem etiam subdito rem suam auferre licere. Major  
 enim publicæ quam privata utilitatis ratio habenda est. *Dd. l. 1.*  
*sol. matrim. Cray. de antiqu. temp. part. 1. pr. n. 33. Vasq. in illust. l. l.*  
*quæst. 13. & 17.* An verò pro tali re subditis à Principe per sol-  
 vendum pretium? *Disting. cum Cubact. all. dec. q. & 7.* Sic argu-  
 mento hujus loci pro ditum est: Principem immodicè in suos sub-  
 ditos

B

ditos

ditos savientem, jurisdictione suā, quam in illis habet, recte pri  
vari posse. *Vafq.* 16. l. 1. c. 8. n. 17. &c. *Vid.* *Lipf. pol.* l. 2. c. 13. *Gail.* 2.  
§. 72. & *obs.* 56. *Treutl.* v. 1. d. 8. tb. 5. b. *Harpr.* p. 186. n. 10.

V. Recipublicæ interest, suis quemq; fortunis bene  
uti. *ibid.* Singulorum enim facultates & copiae, divitiae sunt civitatis.  
3. Off. ait Cicero. Et alias hoc certissimum est, quod ubi res privatorū bene  
& recte se habent, ipsa Respub. melius habere intellegitur; quæ præ  
sertim jus habet, exigentibus necessitatibus, utendi rebus privato  
rum; facit quod dicitur in l. 1 § 20. de quest' in tributis esse Reipub  
nervos. *Bacch.* bīc. Quod etiam reciprocari testis est hæc *Thucidi*  
*lib. 2. bīfī.* *dīs* sententia: Arbitror multò melius agi cum singulis, cum universa  
civitas fortunata est: quām cum per cives singulos beata est, communi  
ter autem infortunata. Nam is qui per se beatus est, dum Patria labo  
factatur, nibilominus cum illa perit: cui verò res adversæ sunt, infor  
tunata tamē civitate, mulè magis est incolumis. Respublica enim  
*Liv. l. 26.* inculmis & privatas res facile salvias præstat: publica prodendo,  
*c. 36.* ne quicquam tua serves: Itaque quicquid publicè salutare non est;  
*Vell. Patro.* privatum etiam alienum est existimandum: & statim merito judican  
di, qui amissa Repub. piscinas suas fore salvias p̄enne.

V. De querclis eorum coguoscendum, qui vel  
durius habiti, quām æquum est, vel infamī injuria adfe  
sti. *ibid.* Rectissime Cicero: Meminerimus, inquit, & adversus infi  
mos justitiam esse servandam. Fundamentam enim perpetuae commen  
dationis & fama Justitia est: sine qua nibil potest esse laudabile. Præ  
clarè Augustus Imp. Pietate & Justitia; Principes Dij sunt. Et ori  
ginē sceptri si repetis, Fruenda justitia caußā reperies olim benè mo  
ratos reges constitutos. Quid enim aliud quām contravim & ma  
nuariam illam legem inventi & invecti isti? ut essent, qui summōs:  
cum insimis pari jure retinenter. Benè sapientia filius: Rex debet &  
*Ibid.* *Arist. s. pol.* vult esse custos, ut nec opulentii injustum aliquid patiantur, nec plebs:  
contumeliam accipiat. Princeps igitur ad bonum potens & pro  
communi hominum salute creatus est. *Franc. Topiū de potestate*  
*Princip. sec. s. 3.* Unde mortem commeritum impunē dimittere non  
debet; præsertim si crimen legē divinā capitale fuerit. Quia Dei  
est

67.

judicium. Et malè facit, qui faciem in iudicio cognoscet. Nam qui Psalm. 82.  
uni indulget indigno, ad prolapsonis contagium provocat universos. Lev. 19. 15.  
Et impunitas delicti, incensivum est delinquendi, est injusta. q. 23. Ambros. off. 1.  
Cor enim secundum desperet effugium, qui laqueum prioris cri- Symmach.  
minis evaserit. Sive is nobilis fuerit, sive ignobilis. Quo enim major. I. 10. ep. 44.  
in Principem est obligatio & fides, eo gravius censetur delictum. 2.  
Cic. in Catil. Imò exasperatur potius poena quām mitigatur de ju-  
re. l. 8. de Episc. & Cler. l. 3. C. de curiosis. lib. 12. l. 14. de pæn. Non  
enim permittendum, ut sub prætextu privilegi flagitorum cre-  
scat auctoritas. l. 2. C. de privil. Scholar. lib. 12. Et universa amittit  
privilegia, qui illis abutitur. l. 12. & 17. C. de dignit. lib. 12. Multò Cic. 2. off.  
minus concedendum, ut illud Anacharsis prædicatur de Princi-  
pum legibus: Musæ flaminibus veluti capiuntur in ihsu: Sed culices  
rumpant viribus illa suis. Legibus obstrictum sic vulga inane tenetur:  
Hag. 2. lev. infringunt impetu turba potens. Quare justissime sustulit  
Stephanus Poloniae Rex, barbarum morem nobilium, qui impuni-  
tatem cædem perpetrantibus concedebat, certa pecunia corpori  
interfecto imposta. Hom. de reb. Liv. Jus ergo Princeps dicat,  
reddat: & id habeat supra omnem injuriam possum. Nihil in pena-  
tibus eius venale sit, aut ambitioni perovi. Caussas reosq; audiat.  
Quia inauditi arg. indefensi tanquam innocentes pereunt. Uno ver-  
bo: Fiat justitia & pereat mundus: Moriatur Absolon & vivat Isra-  
el. Vid. Lips. l. 2. pol. c. 11. War. ab Erenb. de subs. Regn. C. 19. n. 3.  
Bodin. l. 1. c. 10. n. 100. & Ius de jure Princip. in jur. publ. Franc. lib. 47.

VII. Auxilium contra sevitiam, vel intolerabilem  
injuriam non est denegandum iis qui justè de precantur.  
arg. §. ult. Ergo, inquis, si ad eò indifferenter justiciæ securim di-  
stringere Princeps tenetur in delinquentes, nullius relinquitur  
locus CLEMENTIA? Nullo modo hoc virtutum præcipuo side-  
re spolio; aut omni ratione συμπαθείας Principem exuo! ut po-  
tius id unicè expetam, ne sumnum jus, quod summa sapè malitia  
est, quodq; antiqui summam putabant crucem, præcisè nimis urge-  
at. Dei quidem proprium est condonare culpam: hominis vero  
justiciæ lancem rectè dirigere, ac pro ratione circumstantiarum

Sen. de Clem.

lib. 1.

Tac. 13. ann.

l. hist.

Ter. Heaut.

Colum. lib. 1.

63

poenas impónere. *Clementia enim paululum inficit leges, nihil tamen contra rectam rationem committit: Se veritas autem nullo modo flectitur.* Dum *Clemens de supplicii rigore aliquid remittit, ex mente legis judicat, reum plus pati non oportere.* Ut potest si cædes fortuita facta, aut illata vis propulsa, vel aliud quidpiam contra civiles leges commissum, ibi non subito reum securi percutit: Quas tamen circumstantias severitas non respicit, sed poenas ex verbis legum instituit. Deinde in casibus, ubi nulla poena certa  
*Deut. 25. pr.*: præfinita; vel præfinita quod uidem, sed rebus mere humanis, ibi pro arbitrio poenam imponere potest. Ubi vero lex scripta cum lege Dei convenit, Princeps nihil propriâ temeritate sed omnia Dei iubentis auctoritate facere debet. *Mart. claf. 2. c. 9. sedl. 31. Bodin. l. 1. c. 10. n. 100.* In totum igitur poenam remittere non est clementia,  
*Chrysost. in c.*: sed venia à solo Deo speranda. *Misericordia absq; justitia faciuntur.*  
*5. Matth.* *Injustitia vero absg misericordia crudelitas est.* Magistratus, ne aut animi severitate magis vulneret, quam medeatur: *Irratus recolat quod mobilia ira Leonis;* *In sibi prostratos se negat esse feram.* Vel superstitione clementiae affectione in crudelissimam incidat humanitatem, si molli, dissolutaque indulgentia, cum multorum pernicio diffundat. *Mergitur navis,* si vela nimis tendas; si parum laxes, vebitur tutius. *Usurpet igitur Princeps:* & amorem apud populares, meum apud hostes quarat. Nec dominacionem servos; sed rectorem, & cives cogitet: *Clementiam, & Justitiam capessat.* Et justis deprecationibus eorum interdum cedat, nec omnia negando, ad extremanum ipsos necessitatem adducat. Nam non Camilli modò, sed omnium sapientum judicio, firmissimum id demum imperium est, quo obedientes gaudent. Contra vero curerà imperia crudelia, magis acerba quam diurna esse solent. Sit ante oculos Nero, quem sua immanitas cervicibus publicis depulit: sit, ne profanis tantum immoretur, Rex Judæorum Roboamus, qui cum suscepisti aviti regni falsis, se præstaret atrociorum, quam novo regno conduceret, & pro flagellis Scorpiones minitaretur, contra quam Seniores monuerant, cedendum esse petitioni subditorum, & loquendam verba lenia, futurosq; ipsi seruos tunc tis diebus; effecit, ut populus à se domoq; Davidica deficeret. Jam vero que acciderunt, accidere possunt: nec absur-

absurdum, obvia in multis nostrorum temporum similitudine, ab iudeo  
caussis pares exitus animo præcipere. Sic enim fieri amat, ut, *Prov. 10. 30.*  
qui nimis emungit, sanguinem eliciat. Quidni & subditos? Ita ut sa-  
pè in potestate domini non revertantur. *arg. §. ult. b. c. in fin.* *Injuri-*  
*as enim à Principibus (multò magis ab eorum administris: quod*  
*vel Helvetia docere potest) illatas subditus, magnorum malorum*  
*caussam esse. Sic ex Hispania propter ineffabilem Albani sævitiam,*  
*irreparabile dampnum sensit in Belgio. Errat, namque, si quis*  
*existimat tutum esse; à quo nibil tutum. Securitas mutua securi-*  
*tate paciscenda: Estque inexpugnabile munimentum Principis,*  
*amor civium. Extremè autem absurdus est Machiavellus, qui*  
*existimat: Principem huic malo prævenire posse, si per fas &*  
*nefas è medio tollat, & crudas Busyridis aras suspectorum sanguine*  
*conspergat, seq; fidelissimorum satellitum custodia muniat. Hac*  
*enim ratione ipsi tyrannidis venenum infundit, & postea antido-*  
*tum parat, creatq; ipsi periculum, nescius an evadere possit, nec*  
*ne: Quo quid homine Politico inceptius sit, non video. Princi-*  
*peum suum instituere debuisset, ut ex virtutis & naturæ prescripto*  
*imperaret, ac civium animos sibi devinceret, quo extra omne pe-*  
*riculum, securus absq; satellitibus iu utramq; aurem, etiam insubdia*  
*torum fini dormire posset: non autem, ut se difficultatibus illaque-*  
*are, ut ejus inepito remedio indigeret. Vid. *J. C. t. de jure princip.**  
*tb. 50. & 61. Beren. tub. pac. p. 31. & 68. Lips. pol. l. 2. c. 12. Grotius*  
*de antiqu. Reip. Batav. c. 3. & c. P. Flug. de Rep. Germ. p. 29.*

VIII. Justa adversus dominum deprecatio est con-  
fugiendo vel ad ædem sacram, vel ad Imperatoris statuā.  
*arg. §. ult. l. 1 §. 3. & 8. ff. De offic. pref. urb. Indomitum animal homo-*  
est, nullumque quod meliori arte gubernari velit. Eodem enim  
stercore, eodem etiam æthere orti omnes, cur nimium pro pau-  
corum lubidine calcemur? Hinc per omnes humanæ societatis  
gradus vetita est sævitia, vetita est abuso potestatis. Patronu si  
clienti fraudem faceret, censoria nota sacer erat. *Halicarn. l. 2.*  
Io herili potestate invisa visa fuit Jovi sævitia domini, Livo teste,  
proptereaq; servus sævitia, fame, obsecritate pressus venire juf-

70.

sus est. hic. Pater et si vitam vi potestatis eripere quondam  
impunè poterat. l. fin. C. de patria pot. postmodum tamen ob fero-  
ciam emancipare cogebatur. l. 4. ib. Praeceptoris animorum pa-  
rentis servitia culpa adnumeratur. l. 6. ff. ad l. Aquil. In matrimo-  
nij vinculo thorax propter asperitatem scinditur, nullo alioquin  
ense solvendus. c. litteras, ubi Panorm. restitut. fol. Ipsis judicibus  
immodicè ferocientibus fræni temperies adhibita est. l. 2. Cide eu-  
pod. reor. Vasallus quoque ob violentia, ludibria patronali Imper-  
rio solvitur. Z. ann. de dupl. ven. n. 75. Quanto magis ergo sub-  
diti obsequio, fide, Sacramentique vinculo liberabuntur, si Prin-  
ceps concessio dominatu ad servitiam aut proterviam præpostere  
abutatur. per c. scelus. 2. q. 1. Non enim populus est propter Prin-  
cipem, sed Princeps propter populum, ejusque utilitatem. Heig.  
l. 1. q. 19. Princeps pastor est, qui pro grege excubet. Sed si legiti-  
mus Princeps sui oblitus tractet truculenter subditos, quis eos exi-  
met, quis servitum eripiet? Libertatis janua patebit, ut non so-  
lum igli sponte exire, sed & Tyrannio promiscua manu perire  
possit? sicuti furali dogmate vociferati sunt factionum tubæ, Prin-  
cipum sanguinatij sicarii, & venenarij Jesuitæ, Rerumpub. everso-  
res, ut Marianna, Toletanus, Rossanus & similes. Quorum è schola  
parricida iste prodidit, qui Regi Gall. Henrico IV. vitam eripuit: Qui  
à supremæ auctoritatis judicib⁹ de caussa suscepit parricidij inter-  
rogatus, quam more patro in reorum sellula sedet, liquidò &  
discretè respondit: Ideò se, quod fecisset, fecisse, quia Rex Prote-  
stantibus opem ferre paratus in caussa Clivensi, Pontifici Max. rem  
faceret ingratam, ac proinde dignus esset, qui periret. Deum e-  
nam se in terris Romanum Pontificem agnoscere, cuius voluntati,  
qui se quo vis pacto opponet, cum le habere avionem tñg⁹,  
(suomet ipsius fatig⁹ condemnatum) & exitio devotum. Quia Papa  
est Deus & Deus est Papa. O horrendam blasphemiam Apage  
pestem! Non enim Rex postulatur, ut Medicus, cuius Imperia-  
durant, quamdiu placet ægredo. Nec convenit cuilibet servos  
vocare ad pileum; nec populari ludibrio, sacrosancta principis  
majestas exponenda, aut uouis cuiusque pedibus subjicienda.  
Subditi quidem immittere in possessionem, dejicere vero rursus  
pro lubi,

71.

pro lubidine Dominum non posse; siquè propriâ se subtrahere,  
autoritate, sive sursum facere non licere, DD. innuunt, per. l. i. C. de Q.  
serv. sive. Quid ergo? Si Clodius ad tribunal, Verres ad prætoriam,  
Catilina ad consulatum, Phalaris ad sceptrum, licebitne viro for-  
ti esse tam degeneri, ut quis oculis Patriæ calamitatem intue-  
tur? Ut injuriam avertas, uere amicis deprecatoribus, arg. l. 7. S. 4.  
de adil. edit. Aut jus publicum invoca, & potestate superiori præ-  
ditum adito, qui vim pati prohibessit. l. 13. & 24. ff. quod met. e.  
hoc est, conquerantur subditi, & supremi Principis opes implor-  
rent; P. Greg. 26. de Rep. c. 7. n. 19. simulac enim (remediis lenio-  
ribus frustra tentatis) banni pena pronuntiatur, hostis Imperii  
fit, amittiturque omnia quaž juris civilis. Zang. de excep. p. 2. c. 8. n.  
17. In imperio nostro Cæsarem habes, Cameram habes, Status  
Imperii habes, ubi plangas, Gail. I. O. 17. Horum sola autoritas est,  
ut non modo à Principum subalternorum Imperio subditos exi-  
mere. Myrs. 3. O. 99. n. 3. sed & si opus, plane Dionysios expellere,  
Nerones more majorum plectere, Wenceslaos augustalibus infu-  
lis exuere possint. Grot. de antiqu. Batav. c. 7. Husan. de hom. propr.  
c. 8. n. 38. Vos vero privatim subditos ad mitia consilia voco,  
& aureum Patientia numen, quod non nisi seditionum furia  
concilcant. Ad edem sacram, id est, ad preces, lachrymas & vi-  
te emendationem cum Ecclesia confugiant. Ad scindat deprecatio  
& descendat commiseratio. Hæc enim sunt fidelium arma, quibus  
mundi furores expugnant. Cogitate sacra ista capita à Deo esse,  
nec profana manu immolanda Sc. Gentil. de conjur. p. 219. Bod.  
2. rep. c. 5. n. 212. Cogitate igneas herorum mentes a Deo in pos-  
sessionem missas, nec vestro arbitratu expellendas. per. l. i. de serv.  
sive. Bodin. ib. ubi B. Luberum eruditissimum Théologum vocat,  
quod Germanorum Principes ab armis contra Cæsarem suscepit  
dehortatus fuerit. Fer ergo, quisque es, tempestatem istam ac  
imbrem: & ut melior aura adspiret, coelum implora. Si moram  
fecerit Dominus, Expecta eum. Unser Herr Gott hat dein expe-  
ctant auch off seyn müssen. Melanch. post. part. 2. p. 55. Quod ne  
sic quidem emendatur, solum verte, unicum levamen mali, absen-  
tiam à malo cense: γν̄ περὶ γῆς, Lips. i. const. 1. In patria enim de-

git:



72.

git, quisquis cum Deo suo exultat. Durum quidem hoc : sed lex  
ita scripta, cum illp. l. 12. §. 1. ff. qui & quib. manum. Vid. Victor. de  
Exempt. concl. 14. Iustus de jure Princip. th. 36. 37. &c. Cesauben. ad  
Front. Duceum. p. 14. Schönb. 2. pol. c. 40. Casus 4. Sph. civ. c. 10. E-  
senberg de regn. subf. c. II. Beren. in pac. p. 117. Reincking. de reg. see.  
l. 1. c. 3. & 5. Arnf. de autoritate Princip. c. 1. & c. 2. num. II. Harpr.  
part. 1. p. 182. n. 10.

IX. Fraus legibus facta severius exequenda. §. ult. in  
fin. b/c. Lex enim carens executione, est quasi campana aut mola-  
sine pistillo, & quasi Magistratus mutus aut mortuus. Et tandem  
vigent Relpub. quamdiu leges in his bona (que illorum anima) ob-  
servantur. Hujus exequionis facienda gratia Magistratus con-  
stitutus est, ut si ille lex vivens, minister & custos legis muta. Et  
ut in navi necessarij Navarchi & vectores: sic in Repub. interpre-  
tes & executores legis. Quorum officium & cognitionem ne-  
mo privatus prævertere debet, multò minus servatis verbis Legis,  
fraudulenter mentem ejus circumvenire. arg. l. 29. & 30. ff. de  
ll. Quæ caluniosæ & sophistica Legum expostio Jesuitis magnopere  
est probata; quibus stat sententia adamente fixa: In eos, qui  
de religione non eadem per omnia sentiunt quos falsos Hæreticos  
appellant, talem fraudem esse permittam modò dicenda fraus.  
Nam Pontifex, qui, docente Bellarmino, potest efficiere, ne Caesar sit  
Cæsar, cur non id quoque efficiat, ne fraus sit fraus? Ethoc scili-  
cer est Dominum Jesum, qui audit ipsa justitia, ipsa veritas, cui ni-  
hil falsum potest placere, imitari: & quidem non cæterorum ho-  
minum Christianorum more, sed peculiari instituto, & religio-  
ne sanctiore id agere, id totis ingenii viribus contendere, ut Ve-  
ritas, veritas inquam, certa, explorata, omnibus nota, de qua vel  
dubitare insaniam sit, cui se opponere furor est, artificio narrandi,  
constantia in æquivocando, quam Politici vocant, obscuretur, ac  
de memoria hominum, si potest, tandem funditus deleatur. Sed ut  
Sicariis Cornelia lex non placet, neque Remmia quadruplatoribus:  
ita illis, qui Statum alieujus habent invisum, leges illæ supra mo-  
dum dispiacent, quæ ipsum præstant innoxium & securum. Sed ut  
Abominatio Domini est omnis illusor. Vid. Bodin. l. 3. Rep. c. 1. Melch.  
Jun. pol. quæß. l. 1. q. 6. Albus. pol. c. 29. n. 14. Thum. de æquivoco. Jes.  
p. 146.

73

p. 146. Cesaub. Ep. ad Cardin. Front. Ducaum p. 61. & 66. Diff. meam  
de O.I. lib. 30.

## TITULUS IX. DE PATRIA POTESTATE.

CONTINUATIO] PATRIA ista POTESTAS est ius, quod Patria ex jure civili habet in liberos. pr. Et CONSTITUITUR naturaliter & civiliter. NATURALITER per justas nuptias; Quæ sunt viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. §. 1. b. c. Gipban. diff. 3. lib. 6.

QUAESTIO I. Num potestas talis in liberos sit juris civilis? Aff. cum Hæn. Diff. 2. lib. 2. Vngeb. Ex. 3. q. 2. contra Vacon. & Alb. Gen. vil. 4. de nupt. 1. Vid. Först. D. 3. lib. 13. Cubach. Dec. 8. q. 1. Don. En. 3. 2. c. 20.

II. Num polygamia sit in Repub. Christiana permittenda? N. cum Först. D. 3. lib. 9. Arnif. de jure connub. p. 253. Harpr. b. c. p. 219. n. 31.

### Axiom. & Digress.

I. Patria ciuiū Romanorum potestas juris est civilis. §. 2. b. c. l. 3. ff. de his qui su. vel at. Cujus sententia hæc vis est, ut nullus peregrinus patriam in civem Rom. potestatem habeat: neque qui prius habuit, si peregrinus fiat, & civitatem amittat, eam retinere possit infr. iii. 12. Verum id non de imperio paterno, quod naturæ lege atque ordine gentes omnes usurpant, sed de vi ac potestate, quam cives Rom. sibi propriam ac peculiarem instituerunt, intelligendum esse lex Romuli demonstrat; quæ non bona tantum, sed & vita liberorum in potestate parentum erat; cuius meminit Dionys. lib. 2. & 8. Qui hoc amplius addit: Idem parentibus licuisse in filios, qui vel Rempub. administrarent, vel summos honores gessissent: unde factum sit, ut illustres sapè viri ex Rostris, cum conciones haberent, Senatu quidem adversas, plebi vero secundas, à Patribus per vim abducti, atq; eo quo libuit ab ijsdem supplicio affecti sint. Quinetiam Dionys. paulò post adscribit, maiorem patribus fam. in suos liberos, quam heris in suos servos permissione esse potestatem. Atque hoc est quod ait Imp. nullis hominibus talens esse in suos liberos potestatem, qualis est civib. Röm. Nam

C

pote-

74.

potestas: vitæ & necis, de qua mentio sit in l. ii. ff. de lib. & post.  
l. ult. C de patr. potestate, Persarum quoque & Scytharum com-  
munis fuit. Verum hæc meritò posterioribus seculis displicuit:  
nec, et si id maximè contendat Bodinus, in usum revocanda est.  
Aureum est Adriani Imperatoris præceptum: Patriam potestatem  
in pietate debere, non in atrocitate, confidere. l. 5. ff. ad l. Pomp. de parri-  
cia. Tuendæ vitæ potius potestatem quam tollendæ natura paren-  
tibus dedit §. i. 5. de J. N. & Tiraqu. ad l. s. unquam. C. de revoc. do-  
nat, ubi de amore liberorum plura. Non debet homo, quem  
corpori dare non potuit, vitalem spiritum pro libitu adimere: ac  
præceptum Dei de homicidio generale est: neque Parentibus, sed  
populo puniendam liberorū imperiatem & exequendam legis sen-  
tentiam dominus concedit. Rectè igitur durior illa liberorum  
conditio à posterioribus & melioribus repudiata est. Steph. For-  
car. in Neyom. dial. 81. n. 4. Hinc Aristoteles ait, genus potestatis  
in liberos esse βασιλεύ regium. Nimirum Rex imperat subditis  
volentibus per amorem: amat subditos, & eorum curam ger-  
it, &c. ad eorum commodum, & utilitatem, rempub. gubernat.  
Unde & ab Homero Jūpiter pater hominum & Deorum, &  
Principes & Reges pares & pastores Populorum vocantur. Ita &  
pater liberos ex se editos amat & eorum curam gerit. Quæ soli-  
dissima ratio convincit nimiam potestatem in liberos à verâ rati-  
one, & ab ipso jure gentium abire & abhorrire; & esse potestatis po-  
tius abusum Vid. Heig. & Höst. bīt. Bach. ib. Car. Sigon. de antiqu. jur.  
Civ. Rom. l. i. e. 10. Bodin. l. i. c. 4. Connal. l. 2. Comm. c. 13. n. 2. Coras. de  
art. jur. l. 2. c. 6. Dom. En. l. 2 c. 20. c. An autem Patri magis obtem-  
perandum quam matri. Prius Aff. cum Turturei. paral. Eib. jy-  
rid. Dis. 35. p. 316.

lib. 2. II. Conjugium ad tempus contractum, non est ju-  
stum conjugium. §. 1. Et Romæ primum ita matrimonia insti-  
tuta, ut nunquam dissoluerentur: quemadmodum ex Romuli le-  
ge, quam Dion Halicarn. commemorat, facile est intelligi: Mulie-  
rem nuptam, quæ ex sacris legibus cum viro convenisset, faciem ejus o-  
mnium & bonorum & sacrorum esse; quæ privata cuiusque familie  
apud Roman. erant. Harpr. hic p. 228. n. 74. Eamque legem Mo-  
destinus significans in l. i. ff. de rit. nupt. Nuptia, inquit, sunt confor-  
tium:

et in omnibus vita, divini & humani juris communicatio. Quia de causa per annos 320. divortium Romæ nullum fuisse, Dion. & Agell. l. 4. c. 3. testantur. Quod igitur solenne erat Romanis, ut sponsa cubiculū ingressa diceret marito, *Vbi tu Caius, ego Caja*, id recte de mutuā in adversis & secundis rebus operā accipi potest. Sed post obtinuit, ut ex levioribus quoque causis uxores dimitterent, quod ostendit exemplum relatum à Plutarch. in vita Æm. Pauli. Romani cuiusdam uxorem pulcram & secundam & pudicam dimittentis; & amicis improbabibus factum, respondentis, calceum quoq; quem inducus erat, benefactum videri, sed neminem nosse, qua parte premat pedem. Jus autem non fuisse vicissim uxoribus repudiandi maritos, & ab illis discedere, iudicio est querela mulieris apud Plautum: *Nam si vir scortum ducit clam uxorem suam,* Mercal. a. 4. *Id si reficivit uxor, impune est viro.* Uxor viro si clam Domo egressa est foras Viro sic causa, exigatur matrimonio. Sed postea moribus in pejus suentibus non minus uxori permisum fuit, repudium mittere marito; & elegans est locus apud Juvenal. sat. 10. de muliere, quæ crēbro divertendo intra quinque annos oclies nupst. Ista autem levitas meritò displicuit Imp. Christianis, qui tantum graviores causas divortii admiserunt. Et quidem ex Justiniani constitut. accedente præsertim cognitione magistratus fieri divortium constat, præter adulterium, præcipue ob insidias & iniurias capitales, & sevitiam intolerabilem & desertionem malitiosam. Nou. 22. 117. l. ult. C. derepud. de quibus alibilatius. Vid. Dd. hic. Heig. hlo. n. 25. Bach p. 76. Gent. 6. de nupt. 6. Först. d. 3. tb. 12. Beust. & alii. Harpr. hic. p. 222 n. 42.

TITULUS. X.  
DE NUPTIIS.  
MEMBRUM I.  
Continens Continuationem.

Nuptiarum requisita sunt: I. ut contrahentes sint Cives Rom. II. ut sint Puberes. Giph. D. 2. tb. 7. III. ut interveniat Consensus tam contrahentium, quam quorum in potestate sunt. IV. Ut secundum legum precepta coeant. pr. Vnde à quarundam nuptiis ab-

76

abstinendum est: I. Ratione Cognitionis naturalis; quae est necessitudo eorum, qui una communiter nati, vel ab eodem progeniti sunt. §. 1. 2. 3. 5. vel legalia. §. 10. II. Ratione Affinitatis; quae est diversarum cognitionum per nuptias copulatio. §. 6. 7. III. Publica honestas. §. 9. arg. l. 197. de R. J. Harpr. bīc. p. 218. n. 27. Civiliter patria potestas acquiritur. I. Legitimatione; quae est actus civilis, quo is, qui naturalis est, legitimus efficitur. Cujus species sunt: Oblatio curia, & subsequens matrimonium. §. 13.

## M E M B R U M II.

### Continens Questiones.

I. Utrum consensus parentum de jure Naturali; Civili, & Canonico sit necessarius? Aff. arg. pr. cum Först. d. 3. tb. 18. &c. Gipb. d. 3. tb. 9. contra Robert. & Guibert. Vid. Ungeb. q. 5. Riem. dec. 2. q. 4. Arnif. de jure connub. p. 123. Don. En. 13. com. 20. L.

II. Num ratihabitio locum habeat in nuptiis? N. cum Först. tb. 21. arg. d. pr. præcedere. contra Wef. & Lyclam. Vid. Ungeb. q. 6. Riem. q. 4.

III. Num consensus sufficiat in nuptiis? Aff. cum Gipb. tb. 12. Ungeb. q. 4. Harpr. p. 204. n. 15.

IV. Num frater cum sorore committat incestum iure gentium? Aff. cum Riemero dec. 3. cor. ii. contra Först. bīc. d. 3. tb. 24. Vid. Osterm. in Rat. p. 62.

V. An ab alio vitiata ignoranter ductam retinere quis debet? Neg. cum Riem. dec. 2. q. 6. Hān. tb. 9. contra Först. Wef. & Broncb.

VI. An matrimonium inter fidem & infidem contractum debeat dissolvi? Neg. cum Först. tb. 15. contra Canonistas.

VII. Utrum matrimonium dissolvi possit ob beneficium, vel alia criminis, præter Adulterium? Aff. cum Först. tb. 12. contra Treutl.

VIII. An nuptiae citra parentum consensum initæ, si copula carnalis fuerit insecuræ, possint rescindi? Aff. cum Beza de divort. p. 79. & 144. & R:emer. dec. 2. q. 5. contra Först. & Wef.

IX. An possint invitæ legitimari? Neg. cum Hān. tb. 19. & Fähr. l. 3. cor. i. 54. contra Salicet & Lupum.

X. Nutr.

X. Num Legitimitatio per subsequens matrimonium de jure civili procedat etiam sine dotalibus instrumentis? Neg. *cum Bach. hic. & Hænon. th. 7. contra Förß. & Treut.*

## MEMBRUM III.

### *Continens Antinomias,*

I. In §. 1. bīc. Adoptatis nuptias cum parentibus adoptivis etiam dissoluta adoptione contrahere interdicitur: Et in l. 55. §. 1. ff. de ritu nupt. filio jam emancipato ducere matrem ejus qui pater adoptivus fuit, permittitur. Vid. *Martin. in d. 1. th. 89. Bach. bīc. p. 90.*

II. Duorum fratrum vel sororum liberos inter se conjungi posse afferit. S. 4. bīc. Qui *Theophilus & Cajus* expressè contradicunt. Förß. d. 3. th. 25. & Arum. Ex. 2. th. 13. Matth. bīc. p. 37. Richters diff. jur. Civ. & Can. p. 61. Treut. vol. 2. d. 6. th. 2. e. Osterm. in Ration. p. 64.

III. Comprivignos, qui neutrum parentem communem habent. Germ. zwyciążebrane Kinder / rectè contrahere matrimonium, colligitur ex §. mariti 8. bīc. Cui tamen scrupulum movit *Ant. Mattheus*, ita quidem, ut hoc, quod statuitur, hoc §. & l. 34. §. 2a de ritu nupt. l. 134. pr. de V. O. ut contrarium juri divino Lep. 18. v. 11, inter navorum Juris Civilis referre non dubitaverit. Qui tamen ex sententia *Bachovii* bīc. & ad Treut. tit. de nupt. th. 3. b. rectius fecisset, si in hoc & aliis capp. ab juris nostri reprehensione abstinuerit. Sed consensus tot interpretum ad refutationem novæ & temerariae explicationis sufficere debet.

IV. In §. 9. dicitur *nec sponsam filii nūrum esse*: Et vice versa filiae meæ sponsas non est gener meus: arg. l. 4. ff. de test. cuius tamen contrarium affirmatur in l. 6. & 8. ff. de grad. affin. Vid. *Vult. bīc. p. 80. Bach. p. 103. & Hott. p. 50.*

## MEMBRUM IV.

### *Continens Axiomata & Digressiones.*

I. Legum præcepta sunt observanda. arg. pr. Præser-  
tim in hoc nuptiarum negotio. Diabolus enim illaqueat ho-  
mines tetricis libidinibus, ut irritet iram Dei adversus genus hu-

manum. Tristis est clausula, quæ ponitur in fine 18. capituli Levit. *Omnis anima, que fecerit abominationes istas, eradicabitur.* Omnis anima, inquit, sive sunt Reges, Principes, Domini, sive subditi, & infirmæ conditionis homines; dabunt poenas confessionum in libidinibus. *Casta Deus mens est, casta uulnemente vocari.* Sic multis urbibus, regnis & imperiis exitio fuerant libidines. Sic Sodoma igne consumpta. Sic quoque tota tribus Benjamin delecta est. Sic David, lapsus adulterio, quantam ruinam in isto populo traxit. Sic libido Regibus & decemviris *Rome attulit finem.* Et innumeræ exempla! *Animo enim per libidinem corrupto nihil honestum inest.* Videant itaque qui illud usque ingeminant: *Licet si liber: certè Sine castitate nemo videbit Deum.* Et si major cura Legum & castitatis esset, minus esset dissolutionum & peccatum omnibus gradibus viræ humanæ. Debet itaque ad preces & legum observantium adhiberi etiam circumspectio quædam invitandis occasionibus, quia verissimum est, quod dicitur: *Vitare peccata est vitare occasionem peccati.* Contra vero, *Qui amat periculum perire in illo.* Ethoc voluntaria dicta Poetarum: *Ipse alimenta sibi maxima prebet amor.* Item: *Intra amorem tuus dediscitur usus.* Vid. Melancht. Postill. part. I. p. 543. Först. hist. Jurispr. Rom. l. t. c. i.n.9. & c. 3.n.4. & Disp. meam de O. J. lib. 20. § 56. in

Liv. lib. 9.

II. Iustæ nuptiae nisi inter cives Romanos contrahi non possunt, pr. bī. Olim Cives tantum Romani jura habebant coniugiorum, nec nisi civi Romano cum civi erat connubium, præterquam si quæ rogatione hoc beneficii alii etiam populis sufficerent. Quod non tamum, ut jus Civitatis esset illius, constitutum est; sed & ne in diligenda uxore peregrina pectaretur. Unde & alii, ex eâ civitate, cuius quis est civis, rectius uxorem duci purant. De quo late Tiraqu. de ll. connub. g. l. 1. p. 7. n. 12. Godefr. de Amorib. l. 2. c. 3. Idemq; Politicis probari potest ex his, quæ dilputantur apud Aristot. Pol. l. 5. c. 7. Ita apud Athenienses solum jus civitatis habuit, qui ex duobus civibus Atheniensibus natus esset. Bach. hic. p. 83. Ex peregrino igitur & Cive Romanâ, peregrini nascabantur, ut multis declarat. Sigen. de Rep. R. l. 1. c. 9. pr. Briffon. de jure connub. pr. Et si quis Romanus uxorem duxisset ex Latio

Latio, ea justa uxor non erat; sed ex lege Mensia utroque parente civi eum, qui cīvis Romanus futurus erat, nasci oportuit. Bodin. l.1. e. 6. Deinde quia & Reip. interest scire, quæ mulier cui marito jungatur, quoniam virorum animos non raro mulieres sibi totos devincere & corrumpere solent, quemadmodum peregrinæ mulieres à vera religione abduxerunt Salomonem, & Bacchanalium sacrilegiis implicarunt Romanos: Arnis. de jure connub. c. 1. sect. 2. n. 12. & 4. c. 3. sect. 5. p. 154. Postea tamen Romani ab eo jure ipsi desceiverunt, & ex Conf. D. Antonini, omnibus subditis illud jus datum est. l. 17. ff. si sui hom. Heig. hic. Interim tamen, si quis inducenda uxore negligenter errasset, aut inconsulto impetu, futili & sibi ignominioso, Reipub. verò detrimentoso vinculo temerè se implicasset, apud Romanos ex arbitrio Censorum, apud Lacedæmonios ex lege multabatur. Arnis. ib. n. 18.

III. Impuberes justas inter se nuptias contrahere, non possunt. hic. l. 4. de ritu nupt. Etas varia à variis definita est; alia quidem viris, alia foemini. In Māculis Imp. XIV. in Foemini 12. annos complētos requirit. Foemini verò biennio citius ienit. n. d. concessum, propter votorum festinationem. Macrobi. I. foem. Scip. c. 6. p. 57. id e. doli capacitatem prævenientem vim naturæ & periculi pudicitiae, ne in corpus suū peccent. Cypr. de spons. c. 9. §. 2. n. 7. Quia perfectionem suo sexui congruentem maturius assequuntur. Good. de contr. sp. c. 7 n. 181. Etatem autem hanc II. Julia & Papia præfinivere, non quod præmaturā venere juventutem enerari & ad Pigiaca sacra pñne capillatos properare vellent, sed ne láqueum injicerent libidinum flammis agitatis. Melius enim est nubere quamuri. Deinde voluerunt Romani eā ætatem, quā natura dat habitabilitem generandi, matrimonium permittere: civibus suis, ne illicitis & vagis concubitis indulgerent, quod præsertim perpetuis bellis multis hominibus, & sobole semper subnascente judigerent. Hinc varia olim præmia patribus & maritis, contra pœnas quædam & nocte cælibibus & orbis date & interrogatae. Baih. hic. p. 83. Coras. ad tit. de O. f. p. 66. n. 13. Arnis. de jure connub. p. 32. n. 25. Harpr. p. 232. n. 90. Imo & ipse Dominus dixit. Non est bonum hominem esse solum. Contra verò Papa dicit, dicit diabolus:

60

lus: Homo non vivat in conjugio: siat Monachus, siat sacrificius. Hoc est unicum fundatum impuri cœlibatus Clericorum. Sed nos constanter opponamus istud: *Dixit Deus: Huic voce diuinæ, qui non obtemperant, offendunt oculos Dei & Angelorum, contaminant cœlum & terram, polluent totam naturam rerum,* & tales non potest non punire Deus, cum in hac vita, tam post hanc vitam. Nam non posset genus humanum propagari, nisi fieret procreatio sobolis. Si Adam & Eva fuissent cœlibes, desisisset in eis genus humanum. *Melanct. post. part. i. p. 514.* Utrum autem cives à Magistratu adiuvanda conjugia compellendi? *Aff. cum. Arnif. ib. p. 24. & p. 34.* Tollenda tamen supersticio seu opinio necessitatis, quasi omnibus sine exceptione necessarium imponendum sic conjugium; ut in habitibus, oneratis magnis doloribus & curis Reipub. & Senibus. Hominem e. sexagenarium ducere uxorem, *(inquit Melanct. ib. p. 552.)* est fatuitas & stultitia, & aliquid alienum à natura, quæ aliqui est infirma in senibus. Aliqui senes ita sunt stupidi, ut secundò vel tertio contrahant matrimonium. Hæc est stulta imaginatio, & Phantasia, & rectè dicitur: *Turpe sevex miles, turpe senilu amor.* Apud Athenæum est; *Tempus est amandi tempus ducendi uxoram; tempus cessare ab amoribus;* Item: *Extremum in fortunam est senex amans.* Sed hodie quoque licet uxorem ducere nullus terminus est, cum non tantum procreatio nem liberorum, sed etiam alias fines nuptiarum habeant. *Bach. b. 1. p. 84. Don. En. Hillig. l. 13. c. 19. b. Schönborn. pol. l. 1. c. 5. Arnif. de jure connub. c. 1. & seq. 6. p. 34. & c. 2. seq. 1. p. 74.* & de conjugiis Senum pag. 103.

IV. Non tam speculum, quid licet, quam quid deceat, & publicæ honestati sit consonaneum. *arg. S. 1. S. 9. b. 1. 44. & S. 1. & 1. 197. de R. 7.* Interdum lucero dicitur id, quod rectum ex omni parte piusque est, etiam si forte aliud quid fieri possit laudabilius, quale est illud D. Pauli Apostoli: *Omnia (illius scilicet generis, cuius sunt, de quibus agere cœperat, & actus erat) licet mihi, sed non omnia expedient.* Sic licet matrimonium contrahere, sed laudabilior est ex pio proposito celebs casitas, ut ad Pollentium ex eodem Apostolo disserit *Augustinus. Arnif. de jure connub. c. 1. seq. 7. p. 41. n. 14.* Repetere quoque nuptias

*1 Cor. 6. 17.*

*1. 1. c. 18.*

ptias licet. sed laudabilius est uno contentum esse matrimonio, ut  
hanc questione explicat Clemens Alex. Arnis lib. c. 5, sct. 6, p. 308. Chri-  
stianus conjux paganā conjugem licet relinquere potest, ut sensit  
Augustinus; (quod quibus circumstantiis verum sit, discutere non ib. l. c. 15.  
est hujus loci) sed & potest retinere. itaque addit ille: Virumq;  
quidem pariter licitum est per justitiam, que coram Domino est: Et  
ideo nihil horum prohibet Dominus: sed non utrumq; expedit. Arnis.

ib. c. 6. sct. 5. p. 384. Ulpianus de venditore cui post diem praefi-  
tum vinum licet effundere: si tamen cum posse effundere, non est  
fundit, laudandus est porius. Alias vero licere aliquid dicitur, non  
quod salvā pietate & officiorum regulis fieri potest, sed quod apud  
homines poenae non subjecet. Sic apud populos multos (cortari li-  
ceret: apud Lacedemonios & Egyptios etiam furari licebat. Apud  
Quintilianum est: Sunt quadam non laudabilia natura, sed jure con-  
cessa, ut in XII tabulis, debitoris corpus inter credidores dividi liceat.

Est autem haec vocis licere significatio minus propria, ut recte no-  
tat Cic. Tuscul. 5. de Cinna loquens: Mibi contra non solum eò vide-  
tur miser, quod ea facit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei li-  
ceret: et si peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur: idem  
licere dicimus, quod cuius conceditur. Recepta tamen: ut cum idem  
Cicero pro Rabirio Postumo judices sic alloquitur: Quid deceat  
vos, non quantum licet vobis, spectare deberis: si enim quod licet  
queritis, potestis tollere è civitate quem vultis. Sic Regibus dicun-  
tur omnia licere, quia sunt à ratione divisi, exempti à paenit humanis. At  
regem sive Imperatorem informans Claudianus recte ait: Nec ti-  
bi quid licet, sed quid fecisti debet Occurrat. & Musonius castigat  
reges: Qui in more habent dicere hoc mibilicer, non hoc me deceat. Eoq;  
sensu sèpè opponi videmus quod licet, & quod oportet. Amm.  
Marcellinus: Sunt aliqua que fieri oportet, etiam si licet. Plinius in Ep.

Oportet que sunt imboneſta non quasi licita, sed quasi pendenda vitare. Theod. apud  
Cicero pro Balbo: Est enim aliquid quo non oporteat, etiam si licet. Cassiod.  
A rege illud regium: Cum omnia possumus sola credimus nobis licere  
laudanda. Vid. Grotius de jure bell. l. 3. c. 4. n. 11. Lips. Pol. l. 2. c. 10.  
Tururet. par. 1. Erb Jurid. dis. 22. p. 206.

V. Affinitas veneranda. arg. §. 6. Præcipue autem iis,

D

qui

qui ad clavum Reipub. affinitatum & matrimoniorum maxima  
 cura est, atque esse debet, quod exinde & bella orientur, & rursum  
 desinant, quemadmodum Frossardus venustè dixit, magnorum  
**Principum** ducum bella comicos habere exitus. Quæ caussæ est, quare cùm alias  
**cur a circa** matrimonia libera esse debeant, id metet in fœminis Augustis. Et  
**matrim.** enim Agrippina, viduæ Germanici, fœminæ potentiaz avidissimæ,  
 maritum petenti, Tiberius negavit, non ignarus, ut ait Tacitus,  
 quantum ex Repub. pateretur. Cæsar enim metuebat, ne cùi fœmina  
 & à favore vulgi, & à familia potens nuberet, res novas adver-  
 sus se moliretur, sibiq; imperium extorqueret, accidente uxorio  
 animo dominandi avidissimo. Hinc Africanus: Uxorem quare fir-  
 mamentū familie. Unde inter Wisigothorum leges hæc quoq; in-  
 venitur: *Viduam Regis Gotorum nemo in uxorem accipiat.* Et si enim,  
 ut eleganter ait Tacitus, matrimonium ad majora intenti decus ac  
 robur. Quā itentidem arte Oæavia filia Claudi. Imp. Neroni de-  
 sponsata est, quod ait Historicus, majora patefactum erat, hoc  
 est, aditum illi ad Imperium facturū. Et Livius de Servio: Idem, in-  
 quir, affinitatibus, perq; nuptias filie, multos sibi cognatos amicosq;  
 conciliat. Nam Principum dignitas posita est in splendidis affinitari-  
 bus. Unde & nefas erat Augusta domus splendor in aliam fami-  
 liam transferri; id enim designationem aliquam & contemptum  
 Cæsaribus inlazurum erat, quod testatur Tacitus: Romanam Rem-  
 pub. in luctu fuisse, quod Jul'ia Drus' filia, quandam Neronis uxori, de-  
 nupserat in domum Rubellii Blandi, cuius arum Tiburiem equitem  
 Rom. pleriq; meminerant. Quemadmodum enim subjecti populi de  
 victoriis Principum, de magnitudine, de probitate mirificè latan-  
 tur, sic de ipsorum quibuscumque jacturis, & de qualibet existi-  
 mationis ipsorum diminutione vehementer perturbari. Inter cæ-  
 tera vero hoc subditos maximo mortore afficer consuevit, cùm  
 videlicet ipsi Principes indigna se matrimonia inveniunt; quemadmo-  
**Tac. ann. 13.** dum de matrimonio Sejanicum Julia Germanicis orore legimus;  
 quantum dedecret, ut illa, cui avunculus Augustus, sacer Tiberius, ex  
 Druso liber, se, ac majores, & posteros municipali adultero sedaret.  
 Et revera non quam fuit exosa affinitatum disparitas; idq; non so-  
 lum in regio, sed & aristocratico statu. In hoc enim, (in quo præ-  
 cipue

cipua ac peculiares quædam familiæ rerum potiuntur. Eadem ope aiti decet, ne cum plebeiorum sanguine commisceantur Patrii, partim, quod hæc commixtio atq; affinitas Patriorum nobilitatem existimationemq; tollit, vel saltē minuit: partim etiam, quod plebejī hæc affinitate moti & incensi Reipub. participes esse satagent: De quo cautum est in LL. tabb. Patriū cum plebeis connubia ne jungunt. Quam ob causam maximæ dissensiones fuerunt in Repub. Romana. quippe quod hæc matrimonia (verba sunt Livi) coluvionem gentium, perurbationem auspiciorum publicorum privaterum afferunt, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit, ut discrimine omni sublato, nec se quicquam nec suos neverit; quamenim alia vim connubia promiscua babere, nisi ut ferarum propè ritu vulgariter concubitus plebis patrung, ut qui natus sit ignoret cuius sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. Est nimis hoc arcanum dominationis Aristocraticæ, sicut & illud: Ne quis ex optimatibus principis alicuius filiam in uxorem ducat, quod si fatus fretusq; hæc nuptiali dignitate, facile animum dominaundi sumat. Magis enim periculi res est in libera Reipub. Principem nasci; non secus, atque, ut Seneca ait, semper magno constitutus Deum. Affinitas itaque debito more contrahenda, & contracta veneranda. Neq; dubitatio ulla est, quin inter causas regnorum mutationis ab Aristotele consideretur matrimonij violatio, quemadmodum accidit Archelao. Vid. Scip. Amiat. dis. in l. 5. pol. 1. 10. Tacit. l. 5. c. 6. Clapm. de arcana rerump. l. 3. c. 21. & l. 4 c. 8. & 9. & 17. Schönborn. pol. l. 2. c. 29. Arnis. de jure connub. c. i. sedl. l. n. 8. ubi dedicit: Reipub. interessi, ne promiscue cuiquam cum quoquam contrabantur affinitates: Et, ne quis ignominiosam sibi & Reipub. querat uxorem. n. 11. & 12. Utrum autem satius sit simplicem, quam doctam & astutam ducere uxrem? Prius ab. cum Arnis. c. i. sedl. 3. n. 16. & c. 3. sedl. 6. p. 137.

**VI.** Spurii non intelliguntur habere patrem. S. pen. h.c. & l. 23. ff. de statu hom. Unde nec in parentum potestate sunt. l. 3. ff. de his qui sui vel al. iur. nec ullos agnatos habere dicuntur, cum agnatio per patrem acquiratur. l. 4. ff. unde cogn. Quales sunt ii, quos mater vulgo concepit. h.c. Itaque Aristippus auctore Laertio:

Cum illi meretrix diceret, abs te gravida sum facta: Nibilo, inquit ille, magis hoc nosci, quam si per libinas densissimas incedens dices, Ista me pupugie. Et Diogenes conspicatus meretricis filium, lapidem in turbam conjicientem: Cave, inquit, ne patrem ferias. Ipsa autem spurii ex damnata origine, prater suam culpam, in poenam infamiae incidere dicendi non sunt, cum illud ipsum nullam expressam lege caveatur, & magnam praeterea iniquitatem contineat. l. 6. pr. ff. de decur. cum possit quandoque macula generis, quae in spurio est, virutis splendore deleri, qua ratione humili ex casa magni quandoque & clari viri prodierunt, quorum catalogum contexit Pistor. de spur. c. 55. in fin. Harim. Pistor. l. 1. q. 30. Mod. Pistor. l. 1. conf. 46. Heig. hic. p. 56. Disf. 2. supr. tit. 4. ax.

## TITULUS. XI. DE ADOPTIONIBUS.

### MEMBRUM I.

#### *Continens Continuationem.*

II. ADOPTIONE: Quae est actus legitimus, quo qui filius non est, pro filio habetur civiliter, ut scilicet familiam & hereditatem cernat. Estq; duplex, vel adoptio in specie sic dicta vel *Arrogatio*: Illa est adoptio filiorum fam. & fit auctoritate magistratus: Hac est hominum sui juris, & fit auctoritate Principis. §. 1.

### MEMBRUM II.

#### *Continens Questiones.*

I. An filius, extranea personae in adoptionem datus permaneat in potestate patris naturalis? §. 2. b. Aff. cum Treutl. disf. 2. tb. 10. a. 5. Wes. in par. de adopt. n. 6. contra. Ant. Matib. hic. §. Aruma. d. 2. Ex. 20. Vid. Hen. tb. 23. Fach. l. 12. contr. c. 60.

II. An quarta quae impuberi arrogato, & postea emancipato, vel exheredato sine justa causa debetur, sit omnium bonorum? §. 3. b. Aff. cum Heg. hic. Donell. l. 2. comm. Harpr. p. 450. n. 19. contra Vultej. hic. & Fach. ib. Vid. Ulngab. q. 10. Hen. tb. 24.

III. An Plebejus adoptatus a nobili, nobilis efficiatur? Neg. cum Hænon. d. 2. tb. 21. & Harpr. hic. §. ult. p. 461. n. 5. contra Arum. tb. 21. Vid. Giph. disf. 4. n. 26. Treutl. v. 1. d. 2. tb. 10. a.

I. An

IV. An adoptio actus sit legitimus? Aff. cum Arum. lib. 17. &  
Harpr. p. 445. n. 7.

V. Hermaphroditus an ad optare possit? Dist. cum Harpr. ad §.  
10. p. 457. n. 7.

### MEMBRUM III.

#### Continens Antinomias.

I. Nos Inter. §. 2. bīc. §. 8. tit. si q. l. 10. §. 1. C. b. 1. & l. 10. vers. sed si quidem cum Martino incontr. lib. 90. nullam contrarietatem agnoscimus.

II. In §. 3. exigitur cautio personae publicae: cum tamen aliquis alteri planè inutiliter stipuletur. §. 4. & 18. infr. de inut. stipul. l. 385. §. 27. de V. O. Vid. Martin. ib. lib. 91. Bach. bīc. p. 124. Osterm. rational. bīc. p. 73. Harpr. p. 450. n. 6.

III. §. 4. bīc. videtur implicare contradictionem: Adoptantem adoptando anni 18. debere procedere. Et tamen 14. ætatis anno nuptias quem posse contrahere. Vid. Bach. p. 129. & Marck. bīc. p. 84. præced. dictum est: Adoptionem imitari naturam. Bach. ib. p. 130. Marck. bīc. p. 87. Osterm. ib.

### MEMBRUM IV.

#### Continens Axiomata & Digressiones.

• II. Etiam per principale rescriptum non debet aliquid fieri, nisi causa cognitâ, & an honesta sit, expeditatq;. arg. §. 3. pr. Id enim faciendum esse, prudentissimus Historiorum 2. bīf. 26. Tacitus admonet: Cum, Omnes, inquit, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, astimare debint, an quod inboatur, Reipub. utile, ipsi gloriosum sit. Non igitur Princeps pro libidine juris & honestatis repagula perfringere, leges figere, atque refigere potest. Nam et si penes Ipsum omnis est jurisdictio, & ab eo, veluti perenni fonte in reliquos Magistratus inferiores dimanet. l. 1. & 1. de ambitu W. f. par. de jurud. Attamen non nisi evidenter aliquâ ratione & utilitate ipsi permisum est, ab eo recedere jure quod diu bonum & æquum visum fuit. Arguit enim illud Principem inconstantem, cumq; contemptibilem reddit cum legibus. Pacian. c. 3. n. 48. Principis itaq; voluntate prolege habemus, si honesta, si justa sit. Non n., quia Rex vult; justum est: sed quia justū, Rex & ille creditur. Nā que facta le- lib. 15. ff. de cond. inß.

dunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contrabonos  
mores sunt: nec facere nos posse credendum est. Ex impiis Machiave li  
schola prodit. Ut sit pro ratione Principis voluntas. Execranda hac  
erat vox Duci Albaniæ in persecutione Belgica: Los que es (dice-  
bat, si judices æquitatem & rationes respicerent) son vellatos: Ba-  
saque yo os lo mando; Judices sunt bestia: sufficiat ipsis meum man-  
datum. Et si executio innocentium ob rei crudelitatem differretur,  
dixit? Por estas barbas, si os no lo hazet, yo os bare aborcar: Per me-  
ambanc barbam, si non feceritis, vos curabo suspendi. Quæ voces  
non sani sunt hominis, sed crudelissimi Busridis. Quæ enim hac  
esser potest anomala, nullis frenari legibus, sed belluæ instar pro  
libidine vivere absque jure? Id potius potest Princeps, quod jure  
potest, pro communis cœlicet utilitate. l. 3. ff. de offic. pref. vig. Finis  
namque humanae legis est hominum utilitas. c. erit. dif. 4. Prince-  
ples igitur ad bonum potens, & pro communis hominum salute  
creatus est. Topius de pot. pr. §. 3. Et sapienter Poëta: Non fas poten-  
tes posse, fieri quod non fas. Etius de jure Princ. lib. 45. & 46. Lips. pol.  
l. 2. c. 10. Chockser. l. 2. pol. c. 1. iii. preced. axiom. 4.

Eurip.

IV. Requirendus eorum consensus, de quorum præ-  
judicio agitur. arg. §. 7. Ipsi e. naturali rationi & æquitati con-  
sentaneum est, ut id, quod geritur, approbetur ab his, quorum  
interessit, quiq; iædi ac proinde contradicere possunt. l. 39. b. t.  
1. 74. d. R. J. Harpr. hic. p. 454. n. 2. Quod ut in privatis facilè admitto, ita in  
publicis hæreo. Illud quidem pro regula tenendum est: Non debet  
alteri per alterum iniqua conditio inferri: Adeò ut ne satio quidem  
Principis, id quod nostrum est, adimi nobis invicta possit. Nec putan-  
dus est Princeps habere dominationem & plenitudinem potesta-  
tis, ut possit quocunque libet: cum et si is supra leges civiles, te-  
l. 7. c. 4. & 5. neatur saltem Jure naturæ prohibente cuiquam suum derrabi, ac da-  
l. 206. de R. J. ri nostrum alteri, qui in commido nebro dicitur. Quare ausus est Na-  
2. Reg. both recusare sue rei venditionem Regi, & D. Ambrosius Impera-  
23. q. 8. tori Valentiniano traditionem Basilicæ. Cæterum hanc regulam  
perpetuam non esse communis doctorum est sententia. Exceptio-  
nem enim pati in causa necessitatis, & magnæ publicæ utilitatis;  
que

que preferenda privatorum contractibus. arg. l. 3. C. de primis. Quo-  
 ties enim Reipub. interest, privatas res in usum publicum destina-  
 ri, toties cives ac subditos à jure suo discedere oportet. Iniquum  
 id sanè videatur, itađ miserabile, sed in favorem Reipubl. indul-  
 tum; veluti Levinus Consul apud Livium: Respub. in columnis & pri-  
 vatas res facile salvias prestat, publica perdendo, tua nequicquam ser-  
 ves. De tempore belli liquidum est. Jovius: Galli, inquit, obfeso à  
 Cesare Mediolano abortante Grito l'enero necessaria, sed miserabili  
 ratione, suburbana edificia incenderunt, ne bis adponenda castra u-  
 teretur Cesar, & propius & tuus tangentibus sectio muro succederet:  
 idq; Vercingetorix ait apud Césarem: Salutis causa rei familiaris l. 7. de bell.  
 commoda negligenda esse, adeo q; suadet Gallis, ut a quo animo sua i-  
 psi frumenta corrumpant, edificiaque incendant, qua rei fami-  
 liaris jactura, perperum imperium, libertatemq; se consequi vi-  
 deant. Licetne igitur Principi propter commodum Pacis, privatorum  
 non consentientium bona alienare, & hinc inde dirupta remittere? Ita  
 videtur, in primis si aliter pax fieri nequit: adeo q; cives perpetuò  
 omni actione excludantur. Nec est putandum hoc repugnare,  
 Juri divino & naturali dictanti, ut unicuiq; suum servetur, nemini su-  
 um auferatur: quoniam ( ut Cicero dixit ) Salus populi supremalex  
 est, & nihil Deo acceptius &c. & magis secundum naturam, quam ut  
 publica tranquillitas, utilitasq; procuretur. Juris & divini & natu-  
 ralis multæ sunt regulae, & earum aliæ superiores, aliæ inferiores;  
 quas quoties eventu collidi contingit, inferiores superioribus  
 cedunt, quin etiam ab his interpretationem exceptionemque  
 recipiunt: atque adeò regula inferior quæ dictat suum nemini  
 esse tollendum, sic accipi debet, ac si conjunctâ superiore, lex uno  
 no verborum complexu sic scripta foret: Nemini suum esse  
 tollendum, nisi eamen publica salus aliud postulaverit. Duar. ad l.  
 1. ff. de part. Ordinem enim illum Deus naturæ parent, à quo Prin-  
 cipes omnes curam humanæ societatis, & formam regendæ Rei-  
 publ. acceperunt, constituit, ut privatis publica, & pretiosis pre-  
 tiosiora anterentur. Justum quidem omnibus legibus, quen-  
 quam suas res tenere, sed iustius earundem legum nature res suas qui-  
 biudam adimi, quam ut eo omisso pax, & quiete, totius populi impe-  
 diatur.

lib. 26.

Gall.

l. 3. de ll.

Q.

l. 31. §. 1. ff. diatur. Estimanda est Justitia ex omnibus circumstantiis, & ut Tryphoninus scripsit: *Hac demum Justitia est, qua suum cuique ita tribuit, ut non disfrabatur ab ultra majori Justitieraatione.* Sic usucatio, multoq; alia legibus constituta, prima facie dura & iniqua apparent, quæ penitus inspecta reperiuntur æquissima: ubi videlicet publica necessitas æquitatem vincit, citius dixerim, ubi æquitas publicam necessitatem fecuta est. Vid. Pet. Gudelin. de jure pac. c. 6. Clapm. de arcana rerum publ. l. 4. c. 16. Don. En. Hillig. l. 1. c. 12. c. Vasq. controv. illus. l. 1. c. 4. Baud. disc. de fanore. Bronch. cent. 2. art. 1. Harpr. p. 182. n. 27.

V. Indulgentia Principis afflictis debet esse solatio.  
 arg. §. 10. Cum igit assentitur, Principem boni publici & obtinendæ pacis gratiâ posse etiam privatorum bona, actionesve condonare; benignior est sententia, refundi aliquid oportere iis, qui pro communâ utilitate res suas amisérunt. arg. l. 1. & 2. ff. ad l. Rhod. de jact. *Æquissimum enim est ( inquit Iesus ) commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut suas salvas habereant.* Et profectò vera æquitas est, in rebus cuiusq; civium Æquitatis, conservatio, quæ & benevolentiam multitudinis conciliat, & societatem civium tuetur. Modò adst, unde damnum resarcatur; puta ob multitudinem privatorum qui res suas perdidérunt; & quia damna sunt infinita, quibus fisci & Princeps bona vix sufficerent; & terra civitatum exhausta, vel caussis necessariis reservanda, & cuncti cives adeò depauperati, ut nullum onus novi vegetalis ex quo damna sarciantur, ferre possint: aut verendum est, ne novis oneribus impositi, exciteur tumultus: in tantis angustiis, fatendum est, omitti posse damnorum repenitentem; sic tamen ut quæ nunc fieri nequit, tunc fiat cum Respub. ad pinguiorem fortunam pervenerit: & quod pecuniâ rependi nequit, rependatur saltem immunitate aliisve privilegiis. Sicut fidus Medicus, ut totum corpus sanet, quando alia via malum tollendi nulla est, crebrò unum membrum secat, urit, vel amputat: ita bonus Princeps, ut Reipub. tranquillitatem restituat, quando aliud remedium non est, lædere quosdam privatos potest: ac cogitare debemus omnem rationem expediendæ civium salutis Principi esse commissam, & cui commissa est Reipub. simul rerum hominum privatorum, quatenus hæc illi;

39

illi ordine naturæ, tanquam rei digniori inservient, administrationem esse  
commissam. Neque est cur conquerantur, qui necessitate & publica utilitate  
cogente jacturam rerum suarū aliquam fecerunt: *Cum pro Republica mori,* &  
*eis nos totos dare, & omnia nostra ponere, & quasi consecrare debeamus.* Ibid. Gude-  
linus. c. 7. *Vasq l. i. c. 4. n. 11. & c. 5. Clapm. ib. c. 16.* Hoffmann. *peric. ad. 29. tb. 20.*

Cit. 2. Dell

III. Tuta cautio est, quæ fit personæ publicæ arg. §. 3. b. c. Quare  
privati hominis modim ac modestiam excedunt, qui curiosus inquireat au-  
dient in actiones principum, qui à Deo constituti ad clavum Imperii, & quo-  
rum curæ ac vigilante permisum, ut videant, ne quid Respub. detrimenti ca-  
piat. *Tutores enim & depositarii sunt publicæ salutis, ut rem populi salvam fore,*  
*& non eversam iri procurent ac spondeant.* Quorum cautio subditis tuta  
estimanda. A Deo enim ista & isti. & *Quicunq; ipsorū potestati resistit. Dei ordi-*  
*nationi resistit.* Quid calcieras? *Principi summum rerum judicium dii dederunt,*  
*subditis obsequi gloria reliqua est.* Imò *Sacrilegii instar rescriptis principum*  
*adversari.* l. 5. C. de div. rescr. Aut de principali judicio disputare. l. 3. C. de  
crim. sacril. Quare omnes injurias, inquit Fr. Junius de transl. Imp. l. 1. c. 2. à  
magistratu potius ferunt boni, quam atrocissimas, quam ut in eum invehant fer-  
mone, scripto, opere, ad ordinis & pacis publicæ perturbationem. Vid. Arniseus de-  
auor. *Princip. c. 2. n. 17. Lips. pol. l. 6. c. 5. Tholos. de repub. l. 26. c. 5. num. 25. 6.*  
silt. n. 8.

t. Petr. 2.

Tac. 4.

Ann.

I. Duo vincula fortius ligant uno. arg. §. 2. Nam qui simplex, in-  
firmus est; triplicatus funiculus agè rumpitur. Pulchrā id imagine *Scilurus*  
*Scytharum Rex suis repræsentavit.* O Etuaginta filios, jam moriturus, adfer-  
re fasciculum hastilium jussit, eumque singulis, ita ut erat colligatus, confrin-  
gendarū dedit. Cūm autem quisque pro se id se præstare posse negaret; ipse  
uno post alterum extracto hastili, omnia nullo negotio confregit, ostendens:  
*Concordiam ipsos firmos & insuperabiles conservaturam: Disfido imbecilles &*  
*infabiles eorum res redditum iri.* Quod idem aliquantò crassiore similitudi-  
ne sed non minus appositā, *Sertorius ob oculos posuit, cūm ejus jussa vir im-*  
*becillus validi equi pilos ex caudâ singulatim nullo negotio evelleret: quod*  
*robustus in equo strigoso invalidoque, caudam utrâque manu trahens non*  
*potuit.* *Marcus Agrippa, vir ingentis animi dicere solebat, multum se huic Sallu-*  
*stianæ debere sententia: Concordia parve res crescent. Discordia maxime dilata-*  
*buntur.* Hāc se ajebat & frarem & amicum optimum factum. Si Germani can-  
dem sententiam familiariter in animum reciperen, tum demum eos verè  
Germanos, hoc est, fratres, fraternoque vinculo minimè opportunos injuria  
futuros, est quod speremus. Sin autem (audiant hoc è Teutonicis Imp. Ca-  
rolo M. & Ludovico Pio, Teutones ac recondant in pectora sua) nos ipsos co-

Plin. l. 36.

c. 17.

Stobæn

serm. 8. 2.

Sen. ep.

94. ex Sa-

lust. Ing.

c. 20.

*medimus; cito deficiemus. Tub. pac., Beren. p. 348. Lips. de dupl. concord. orat.*

VI. Principales & augustæ Domus debent pluribus munimentis insistere, ne successor in incerto sit. arg. §. ii. in fin. Per multum enim facit ad regnum conservandum; ut quovis tempore Imperii heres sit, & certus heres: in primis hanc ob causam, quod Principatus sive regnum mortuo sine herede regi, facile in partes distrahitur, & in aliam Rempub. mutatur, ut testatur Aрист. & exempla sunt obvia in Alexandro, Philippo, Maria, Joanna regina Neapol. alijsq;. De Alexandre ita Justinus: Alexander, inquit, rogatus, quem heredem ficeret Imperii, respondit dignissimum; quā voce velutē bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordie immisisset, ita omnes in emulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum favorem milium querunt. Et Curt. lib. io. Sine certo, inquit, regis herede, sine herede regni, publicas vires ad se quemq; tracturum. Deinde praesentia & certitudo hereditatis aliorum spes tollit: quod ait Tacitus: Sic cohiberi pravae aliorum spes rebatur: & alibi: Plena Casarum Domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis Sejanis adferebant. Quā ratione Seneca heredes appellat adminicula Augusti: Sueton. sub fidia aula & consortes imperii: Plinius sub fidia Dominationis. Ideoq; Augustus Germanicum adsciri per adoptionem à Tiberio iussit, si pluribus munimentis insisteret. Nec novum hoc, neq; insolens fuisse apud antiquos. Nam & à Davide Salomonem filium inauguratum legimus? Principi enim nihil carius esse debet, quam ut se moriente populus summā pace & tranquillitate perfruatur. Quod fieri rectissime, si de successore omnis tollatur contentio materia. Bondin. l. 6. c. 5. Neq; verò etiā mortuus censemur, qui successorem certum reliquit. Ita olim Augusti destinati, Cesares & Princeps Juventutis: In Germania Reges Romanorum: In Hispania infantes Regni: In Gallia Delphini & Regis primogeniti: in Anglia Principes Wallie: in Neapolitano Regno Dukes Calabrie appellari coeperunt. Unde etiā nata sunt pacta illa gentilitiae de mutua successione: Graeci vocant αδηλον ληγραπιαν, Erbverbrüderung/Erbeinigung: ut hujus generi extincta illius huic succedat. Vid. disp. pract. iii. 6. art. 2. Scip. Amir. in dist. 2. in Tac. l. 1. Heig. quest. 6. Clapm. de arcana Rerum. l. 2. c. 21.

VII. Antiquitas veneranda arg. §. 12. Etiam in Religionis negotio: Cujus tamen autoritas non tempore aspicienda, sed numine: nec colere quā die, sed quid cōspicere convenit aspiciare. Quod studiosius unicuique faciendum, ut in tanto variarum opinionum diluvio, ad montes Sacrae Scripturae se recipiat, & quod olim D. Augustinus Donatistis consilium dabat: in verbis Christi Ecclesiam Christi & ejus antiquitatem querat. Sic & Chrysostomus, cum alibi, tum ex professo in homili. in Acta 33. tractans illam questionem. Quo pacto vera Ecclesia inter plures societates, qua hoc sibi nomen vindicant, possit discerni: Duo docet

lib. 3. anal.

Principes  
Iuventu-  
tis.

Arnol. x. 2

91

et esse instrumenta judicandi, & qua<sup>t</sup>tionis hujus decidenda: prim<sup>o</sup> quidē VERBUM DEI, tūm autem Antiquitatem doctrinā, non ab aliquo recētiore ex cogitat<sup>e</sup>: sed ab ipso Ecclesiæ nascentis principio semper cognit<sup>e</sup>: Unde Ecclesia Catholica nomen nobis Lutheranis semper magnum fuit; sed istius, cuius prælustre membrum fuit Ecclesia Romana antiqua illa, quam D. Paulus docendo fundavit & confirmavit, cuius vestigia Neg<sup>o</sup> vno ex hac si nova Romana premeret, nulla, nulla inquā lis, inter nos & istos merito audiretur: illam in D. A postolo aspicimus, meritoq<sup>z</sup> suspicimus; & novæ Romanae novis inventis multipliciter mirè deformatæ, reversionem & ad CHRISTUM unicum Ecclesia antiqua magistrum & fundatorem, conversionem precamur. Sed ne falso in alienam messem mittam, ad profanos me converto scriptores, apud quos tantu<sup>m</sup> ponderis s<sup>er</sup>pē obtinet antiquitas; ut ei non minimum deferatur. *Antiqua enim & quæ ab auro illo seculo, habita sunt omnia meliora nostris; quia scilicet recentia à deis, proprius etiam ad ipsos accedebant.* Ita Plautus Trin. 2. 2. *Aniquis bibitomoribus:* Sic Virg: *Prisca & cana fides.* Terent: *Homo antiqua virtute & fide.* Cicero pro Rosc. *Homines antiqui, qui ex suā naturā eatores fingerent.* Ennius ille tricordis: *Mō Adelph. 3. 3.* *ribus antiquis res fiat Romana Virg.* Insuper fuit magna sapientia (inquit Melancht. Possib. part. 3. p. 485.) apud majores. Es ist narrorwerd das erliche sagen/wir sind alleine klug. Nec doctrinas integras haberous, ut vetustas, neque Republicas, noch wollen wir klüger sein/denn die Alten. Vid. Casaub. epist. ad Cardin. Perron. p. 20. Ebing. in belis. Ep. p. 5. Taubm. ad Plaut. Capt. 4. 1. 2. §. 20. Disp. 2. iii. §. ar. 1. & 2. Et Serum voces loco demonstrationis esse asserit. Turtur. paral. Eth-jurid. disp. 12. p. 114. Crab. de antiqu. temp.

## TIT. XII.

Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.

### MEMBRUM I.

*Continens Continuationem.*

Potestas patria ita constituta dissolvitur I. Morte naturali pr. II. Civili, nempe de portatione. §. 1. III. Servitute penae, §. 3. IV. Patriatus dignitate. §. 4. V. Emancipatione. §. 6. Suspenditur ob jus postlimini, VI. Captivitate. §. 5. Transfertur VII. Adoptione. §. 8. Non amittitur Relegatione §. 2. nec militia aut Senatoria dignitate, §. 4.

### MEMBRUM II.

*Continens.*

QUESTIONES.] I. An matrimonio dissolvatur patria potestas? N. cum Arum. hic. tb. 24. Don. En. 1. 2. c. 26. l. II. An dignitate doctoratus? Neg. III. An militia? N. IV. An Monachism<sup>o</sup>? N. cum Hænon. tb. 25. contra. Förß. disp. 3 tb. 28. Vid. Brv. claus. disp. 1. 13. tb. 18. Angeb. Ex. 3. q. 11. Treutl. sol. 1. disp. 2. tb. alt. c. & c. Harpr. p. 472. n. 4. V. Utrum ad emancipationis negotium Scriptura & acta rei gestæ intervenire debeant? Aff. cum Boc. cl. 1. d. 13. tb. 31. Hæn. tb. 7. contra Cothm. VI. An autem invitati possint emancipari? Neg. cum Bach. hic. p. 194. Don. En. ib. g. Harpr. p. 489. n. 1.

ANTIN.] In §. 4. dicitur dignitas Patriatus summa; cum tamen in l. 1. C. de consul. consularis dicatur r<sup>u</sup>summa; immo & l. 3. &c. G. de offic. p<sup>r</sup>ef. urb. Praefectura illa cunctis dignitatibus anteponitur. Vid. Bach. hic. p. 24. Marci. hic. p. 195. Don. En. ibi.

DIGRESS.] I. Indulgentia Principis & vitium tollit, & omne in pristinum statum restituit. arg. §. 1. hic. Nam Principes sua tempora transactis de loco cedere non patiuntur. Unde *Justinianus* cum suā tempestate animadverteret in rebus civiliibus.

92.

vibus nonnulla declinare à lemita justitiae, professus est, se Principe talem esse temporum conditionem, qua ea nullo modo pateretur. Cum selta nostrorum temporum, pati. inquit, non patiatur. Hinc aliis quoque Principibus solemne fuit, suorum temporum virtutia collere; & omne in pristinum statum restituere. Debet enim, inquit Theodori. Cas. l. 1. cus Principem curare, qua ad Rempub. spectant augendam. Sed indulgentia potius & co- Ep. 6. mitate quadam curandi, ac moderatione, quam vi aut summo jure. Melior namq; via altera, & veri benigni Principis est, ad Clementia commodum transilire interdum ter- Col. l. 1. Cas. ibl. II. minos aquitatis, quando sola est Misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non Tacit. Agr. recusat. Omnia scire, non omnia resequi: nec pena semper, sed sapientia paenitentia contene- Claud. tum esse. Ignoscere pulchrum Jam misero, pena genio, videlicet precantem. Nec audi- Curt. l. 5. endi semper importuni nescio cuius Reputationis iactatores, qui speciosa dista potius, quam usu necessaria sui Principibus inculcantes, Regnum eos, ac provinciarum flo- rentissimarum iactura mulctarunt. Quod enim dedecet principi, si quantumvis in speciem humili ratione, placide subditos in officio contineat, & quod sibi boni esse prin- ceps Oratorum scribit, à subditis exoratus, nonnunquam de jure suo cedendo, statum suum firmet? Quid interest utrum in superiore locum gradibus ligneis an lapideis ascendas, dummodo è pervenis? Neque se infra decorum submittit Princeps, aut in ordinem cogitur, si Majestatis sua gravitatem facilis comitate modestiaq; temperet, --peragit tranquilla potestas, Quod violenta nequit. Vid. Lips. pol. l. 2. c. 13. Turtur. paral. Eth. Jurid. p. 211. Beren. tub. pac. p. 72. supr. tit. 8. ax. 4. § 7.

Claude

11. Principalis providentia debet omnia in melius reformare, & fictionibus explosis rectâ via intrare, illamq; aliis ostendere. S. 6. hic. Est enim viva Dei imago in terris; hujus itaque ut vestigiis adhucreat, æquum est: Ita tanquam res Jupiter omnibus idem, & quo jure complectatur omnes. Nam ut Sol & dies, non oritur uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur: Ita quoque qui Reipub. presunt, totum coro- plue Reipub. current oportet, atq; omnes eadē equitate contineant, commodaq; cōsūm non disbellunt: ne, dum partem aliquam tuerintur, reliquias deserant & abiciant, in modo ad exci- dūm destinent. Quod qui faciunt, cū alienū faciuntā providentia principali; tum ipsi sibi ad ruinam gradum fructūt. Etenim illius demum Principis magnitudo stabilita funda- tag, est, quō omnes tam supra se esse, quam prosciunt: cuius curā excubare pro salute fini- golorum atq; universitatis quoadie experientur. Ita omnia in melius augebit, ita famam: Nullum eornamentum Principio fastigio dignius pulchrius, et, quam illa corona OB CI- VES SERVATOS, & efficiet, ut tanquam ad clarum & beneficium fiducia certatum ad solatu- rū sint. Modò rectâ via fictionibus explosis intrabit. Non e. docet Principem labium mentiens Quidquid hic rideant veteratores Machiavellista, & fictionū vafrarum Do- stores Jesuita. Quibus pædum non patiēt, nō patiēt pædum et, cum illis lubet. O vas- 8. 7. ni! Certe illud scitum pro firmo habendum: Quacunq; arte Verborum quis iurēt, Deus Plant. Aul. iamen qui conscientia testis est, sic illud accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Imo -nudo Isid. l. 11. de- jus & reverentia herbo Regis inesse debet. Et Palabra de Rey por un gran sacramento, Per sum. bono. rez. aphor. 146. Quare: Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter. Et si velit istam Günth. l. 3. viam alias ostendere, ipsi intrate: Nam recte facere Princeps cibes (nos), faciendo docet. Prog. 1. Nec causa occulta, quoniam ad alta illa versa plerunque mentes & oculi: nec tam im- Pell l. 2. perio opus, quam exemplo. Quod urget efficacius, quam ipsa leges. Obsequium enim in Vlin. Pan. Principem & emulandis amor validiora, quam pena ex legibus. Vid. Lips. pol. l. 2. c. 9. Et Tac. 3. ann. l. 4. c. viii. l. 6. c. 7. Beren. tub. pac. p. 76. Ictus de jure Princ. th. 72. Bodin, de Repub. l. 5. c. 6.

OO A 6414



R

DA7



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8			
7			
6			
5			
4			
3			
2			
1			
1	2		
2	3		
3	4		
4	5		
5	6		
6	7		
7	8		
8	9		
9	10		
10	11		
11	12		
12	13		
13	14		
14	15		
15	16		
16	17		
17	18		
18	19		
19			

Farbkarte #13



3  
57.

CUM DEO!  
COLLEGII INSTITUT.  
PUBLICI  
DISPUTATIO TERTIA.  
Ethico-Politico-Juridica  
De  
**PATRIA PO**  
**TESTATE, EJUSQUE**  
tum Constitutione  
Per  
NUPTIAS, LEGITIMATIONEM,  
ADOPTIONEM: TUM DISSOLUTIONE.  
*Ad Tit. 8. 9. 10. 11. & 12.*  
- EXHIBENS  
TEXTUS  
Continuationem, Quæstiones,  
Antinomias & Axiomata.  
*Quam*  
Sub PRÆSIDIO  
**CHRISTIANITAUBMANI**  
J. U. D. & Profess. Publ.  
Discutiendam proponit  
JOACHIMUS Mäger / Sedinô Pomeranus.  
*Addiēt 29. Augst. In Auditorio 7 Ctorum boris antemerid.*

WITTEBERGÆ,  
Typis AMBROSII ROTHI Acad. Typ. Anno 1635.